tur actus poſitivus voluntatis, maxime ſi ſit voluntas actualiſſima.

XX. Dicunt quarto. Poteſt abſque omni imperfectione concipi divina voluntas ſuſpenſa ab omni actu pro ſigno prædicatorum eſſentialium, & divinarum perfectionum; ergo non eſt imperfectio &c.

XXI. Reſpondeo, neg. conſeq. Signum enim prædicatorum eſſentialium, & divinarum proceſſionum non eſt ſignum exercitii libertatis, ſed præciſivum ab omni actuali libertatis exercitio. Unde non eſt imperfectio in divina voluntate, ſi pro eo ſigno nullum in ea concipiatur decretum: ſicut nulla eſt imperfectio in divina eſſentia, ſi pro ſigno eſſentiæ concipiatur præciſive ab attributis. Eſſet quidem imperfectio, ſi in ſigno exercitii libertatis, nullum in divina voluntate adeſſet exercitium libertatis, ut aſſerunt Contrarii.

XXII. Dicunt quinto. Videtur ridiculum, immo impoſſibile, dari in Deo decreta poſitiva volitionis, & nolitionis circa infinitas combinationes poſſibiles. Ridiculum quidem; plures enim ex eis formari poſſunt ſatis ridiculæ, ut *ſi Capra ſaltet, Turca converteтur*, & aliæ ſimiles impoſſibiles etiam: quia cum infinitæ ſint, nequeunt cadere ſub certa intentione Dei: ex hoc enim D. Thom. *1. part. q. 7. art. 4.* probat, repugnare infinitam multitudinem actu creatam; quia eo ipſo, quod ſit infinita, ſub certa intentione Creantis comprehendi non poteſt.

XXIII. Miror, quod ab aliquo ex Diſcipulis D. Thomæ hoc argumentum produci poſſit; cum circa futura conditionata ſub quacumque conditione, ſi admittat ſcientiam in Deo, admittere teneatur etiam decretum objective conditionatum. Videantur igitur ſuperius dicta Tract. de Scientia Dei *q. 6. De Scientia conditionat. dub. 2. §. 5. ad 2. argumentum*. Interim breviter dico, quod ſicut licet foret in nobis ridiculum terere tempus in cogitandis ejuſmodi combinationibus, non tamen ridiculum eſt in Deo omnes illas cognoſcere; immo indicat ejus infinitam cognoſcitivitatem, qua unico intuitu omne cognoſcibile comprehendit: ſic eſto ridiculum foret in nobis circa illas occupari volendo, vel nolendo, quia ad nos non pertinet exercere dominium diſponendo de illis; non tamen reſpectu voluntatis divinæ, ad quam, ratione ſui ſupremi dominii, & actualitatis ſpectat diſponere, & reſolvere circa omnia diſponibilia, vel volendo ea, vel nolendo. Addo quod licet foret indecens, Deum hujuſmodi ridicula velle, non erit tamen indecens, cum illa reſpuere, & nolle; ſicut in ſententia contraria non eſt indecens, eum illa libere omittere.

Ad prob. ſecundæ partis dico, D. Thom. ibi loqui de infinita multitudine creata actu, & in propria duratione exiſtente, quæ ſub certa intentione Creantis comprehendi non poſſet. Nam cum Deus creaturas producat, vel ut una ſit medium ad alteram, vel ut ſit finis alterius; ſi eſſent infinitæ, non daretur inter illas ratio medii, & finis, cum non eſſet medium, & ultimum. Verum numerus infinitus poteſt quidem cadere ſub certa intentione Dei volentis, ut patet de infinitis cogitationibus hominum, & Angelorum futuris per totam æternitatem, quæ utique omnes a Deo prædefinitæ ſunt. Et ratio eſt: quia divina voluntas non reſpicit futura, ut ſimul exiſtentia in propria duratione, ſed ſucceſſive; id enim ſufficit, ut ſimul ſint in intellectu divino cognitæ, & propoſitæ divinæ voluntati, ac proinde, ut ſimul illa decreverit. Quomodo autem Deus poſſit cognoſcere infinita, non numerando unum poſt alium, ſed ea per comprehenſionem adæquando, docet D. Thom. *1. part. q. 14. art. 12. ad 1. & 2.* videndus.

QUÆSTIO IV.

De cauſalitate, & efficacia Divinæ Voluntatis.

DEum agere per voluntatem, & non per naturam, articulus fidei eſt ſupra firmatus, & a nemine rationis compote negari poſſe crediderim. An vero tali efficacia agat, maxime, dum agit per cauſas libertas, de quibus loquemur in hac quæſtione, ut voluntas ejus cum ſuo effectu conjungatur, & quidem infallibiliter; quæſtio præſens ſuſcipit inveſtigandum. Et quidem cum in Deo duplicem volendi modum ſuperius diſtinxerimus; nempe voluntatis antecedentis, ſeu conditionatæ, & voluntatis conſequentis, ſeu abſolutæ; non agimus de primo, ſed de ſecundo volendi modo: an ſcilicet, cum Deus voluntate abſoluta aliquid vult, illud efficaciter velit, ut infallibiliter ſequatur eventus volitus. Hoc tamen certum quoque apud omnes exiſtimo. Sed unde hanc efficaciam ſortiatur divina voluntas, an a ſe ipſa, an ab alio extra ſe, quærendum eſt. Res enim eſt, quæ hactenus tenet in diſſidio Scholas Theologorum, & ex utraque parte intricatiſſimis difficultatibus, & nodis plena eſt.

DUBIUM I.

An divina Voluntas decreto per ſe, & ab intrinſeco efficaci determinet Voluntates creatas ad ſuos actus.

§. I.

Quædam prænotantur.

I. TOtum negotium, quod faceſſit divinæ voluntatis efficacia eſt, illam conciliare cum libertate creata; ne erremus cum Calvino, qui, ut voluntati divinæ aſſereret efficaciam, voluntati humanæ prorſus ademit libertatem; & cum Pelagio, & Semipelagianis, qui ut creatam tuerentur libertatem, divinam voluntatem omni efficacia ſpoliarunt.

II. Ut ergo hæc duo concilient, in diverſas vias abierunt Doctores. Quia enim voluntas Dei ut efficax poteſt tribus modis comparari ad conſenſum liberum creatæ voluntatis, primo, ita ut illum antecedat natura & cauſalitate, eumque infallibiliter inferat quoad ſubſtantiam, & modum libertatis: ſecundo, ita ut quatenus formaliter efficax, ſequatur, & ſupponat noſtrum conſenſum, ſic, ut priuſquam efficaciter decernat, conſulat, & exploret creatæ voluntatis determinationem, & conſenſum: tertio, ut neque antecedat, neque conſequatur, ſed pure concomitetur creatæ voluntatis conſenſum, cum qua ſimul concurrat, & condeterminet.

III. Hinc ortæ ſunt tres ſententiæ. Prima ponit divinam voluntatem antecedere noſtrum conſenſum, illumque efficacia ſibi per ſe, & ex natura rei intrinſeca, quoad ſubſtantiam, & modum libertatis inferre. Hanc tenent omnes veri D. Thomæ Diſcipuli. Secunda ponit, voluntatem Dei, ut efficacem, non antecedere conſenſum noſtrum, nec efficaciam a ſe habere, & ab intrinſeco; ſed quatenus conſenſum noſtrum antecedit, eſſe pure indifferentem, reddi autem determinatam, & efficacem ex connotatione noſtri conſenſus prævisi ut futuri. Hanc acerrime ſuſtinent quotquot in aſſertionem ſcientiæ mediæ jurarunt. Tertia ponit decretum ex ſe quidem efficax, ſed concomitanter, non antecedenter ad conſenſum. Ita moderni quidam Scotiſtæ. Cum enim (ajunt) Deus ratione ſuæ infinitatis contineat in ſe voluntatem creatam, videt in ſe quidquid illa vult, & ad quid illa ſe determinet, & ſimul decernit cum illa concurrere, & efficere, quod illa facit, ſeu factum eſt.

IV. Sed hic dicendi modus, qui Scotiſtis Recentioribus familiaris eſt, placere non poteſt. Nam Deus, quem dicunt ratione ſuæ infinitatis continere in ſe humanum conſenſum, vel illum continet, ut determinate futurum, vel ſolum indeterminate. Si primum; ergo jam ante omne decretum Dei datur aliquid, in quo certo prævideri poſſit conſenſus humanus contingenter futurus, & de facto Deus certo illum videt: ſed ſcientia, qua Deus videt aliquid contingenter futurum ante omne ſuum decretum eſt ſcientia media, quam tamen ipſi negant; ergo &c. Si vero dicatur ſecundum; ergo infinitas Dei ut continens voluntatem creatam non eſt ratio ſufficiens, qua Deus poſſit in illa videre conſenſum humanum, ut determinate futurum, cum in illa non contineatur determinate; in medio enim, in quo aliquid ſolum indeterminate continetur, non poteſt illud determinate videri, ut ſuperius contra Molinam probatum fuit. Hanc ergo opinionem relinquimus.

§. II.

Noſtra ſententia ex Scripturis.

V. DIco. Decreta abſoluta divinæ Voluntatis ſunt ab intrinſeco, & per ſe efficacia, ſuaque efficacitate inferunt conſenſus noſtros liberos, nedum quoad ſubſtantiam, ſed quoad modum libertatis: non vero ſunt ex ſe indifferentia, & accipientia efficaciam a prævisione conſenſus noſtri futuri. Ita cohærenter ad ea, quæ diximus rejicientes a Deo ſcientiam mediam. Quæ aſſertio generaliter procedit quoad omnem actum liberum creatum, ſive ordinis ſupernaturalis, ſive naturalis, ſive in hoc ſtatu naturæ corruptæ, ſive integræ: uno verbo, quoad omnem actum liberum cujuslibet voluntatis creatæ contra Juenin *Inſtit. Theol. p. 1. diſſert. 4. de attrib. in ſpecie c. 6. art. 2.* & alios, quos ſupra Tract. de Scientia Dei *q. 6. de Scient. futurit. condit. dub. 8.* rejecimus, cum Janſenio negantibus quidem ſcientiam mediam pro ſtatu præſenti naturæ corruptæ, ſed eam aſſerentibus pro ſtatu naturæ innocentis, & pro Angelis: quæ ibi dicta recolenda ſunt.

VI. Probatur primo ex D. Paulo *ad Epheſ. 2. v. 10.* dicente; *Ipſius enim ſumus factura, creati in Chriſto Jeſu in operibus bonis, quæ præparavit Deus, ut in illis ambulemus.* Notate. Si nos a Deo creamur in operibus bonis; ergo ea non ſupponit Deus ante ſuum decretum futura, ſed ſuo decreto ea facit futura, creatio enim non ſupponit ſubjectum, ſed illud creando facit. Rurſus: ſi Deus præparavit opera noſtra, ergo ea prædefinivit. Et ne quis putet, quod Deus prædefinierit, ſeu præparaverit ſolum circumſtantias, in quibus ea prævidit futura, ſubjungit: *ut in illis ambulemus:* non quia prævisi fueramus ambulaturi, ſed faciens, ut in illis ambulemus ſua voluntate; qua dixit Ezech. 36. v. 26. *Et dabo vobis cor novum, & ſpiritum novum ponam in medio veſtri: & auferam cor lapideum de carne veſtra, & dabo vobis cor carneum. Et ſpiritum meum ponam in medio veſtri: & faciam ut in præceptis meis ambuletis.* Qua Prov. 21. verſ. 1. *Sicut diviſiones aquarum, ita cor Regis in manu Domini; quocumque voluerit, inclinabit illud.* Hæc certe decreto ex ſe indifferenti Deus non facit.

Hinc D. Auguſt. in *Pſalm. 148. n. 10.* ait: *Audi Apoſtolum hoc te docentem. Non ex operibus, inquit, ne forte quis extollatur. Opera bona non habemus? Habemus plane: ſed vide, quid ſequitur: Ipſius enim ſumus figmentum dixit. Ipſius ſumus figmentum: forte naturam, qua homines ſumus, commemorare voluit, hoc appellato figmento? non plane: de operibus loquebatur. Non, inquit, ex operibus, ne forte quis extollatur ... Ipſius enim ſumus figmentum, creati in Chriſto Jeſu in operibus bonis. Noli ergo putare, te aliquid operari, niſi in quantum malus es. Averte ab opere tuo te ad opus illius, qui fecit te .... Ut enim ſis, ipſe operatus eſt: ut bonus ſis, ſi bonus es, ipſe operatur ... Deus eſt enim qui operatur in nobis, & velle, & operari pro bona voluntate &c.* Et S. Proſper reſp. 14. ad capita Gallorum. *Fides* (inquit) *& charitatis opera, atque*

in eis uſque in finem perſeverantia, quia homini per Dei gratiam conferuntur, recte & ipſa, & quæ eis retribuenda ſunt, prædeſtinata dicuntur, ex auctoritate Apoſtoli dicentis .... ipſius enim ſumus figmentum, creti in operibus bonis &c. Idem S. Fulgentius *lib. 1. ad Monimum cap. 29.* necnon D. Th. ad præfatum Pauli dictum *lect. 4.* ubi ait: *Ideo ſubdit de prædeſtinatione dicens: Quæ (ſcilicet bona opera) præparavit Deus: nihil enim aliud eſt Prædeſtinatio, quam præparatio beneficiorum Dei, inter quæ beneficia computantur & ipſa opera noſtra. Dicitur tamen Deus nobis aliqua præparare, in quantum diſponit, ſe nobis daturum.*

VII. Confirmatur. Ex Sacris Litteris habetur primo; quod voluntas ejus talis eſt, ut ei non poſſit reſiſti. Unde Eſther 12. v. 9. *Non eſt qui poſſit tuæ reſiſtere voluntati, ſi decreveris &c.* Iſaiæ 46. v. 10. *Conſilium meum ſtabit, & omnis voluntas mea fiet*, cap. 14. v. 27. *Dominus exercituum decrevit: & quis poterit infirmare?* Rom. 9. v. 19. *Voluntati enim ejus quis reſiſtit?* Quod ſi voluntas creata eſſet, quæ determinaret voluntatem divinam, eique daret efficaciam, quomodo de voluntate divina hæc verificari poſſent? Deberet potius de ſe hæc dicere creata voluntas; ſuppoſito enim, quod pro mea libertate determinata ſim ad conſenſum, quis reſiſtet? Quis poterit infirmare? Deus? Nequaquam. Nam is ſua indifferentia faciet quodcumque voluero: immo ego faciam, ut faciat mecum; & ſi voluero, etiam peccatum, invitus quidem, ſed faciet. Rurſus ſi teſte D. Paulo: *Deus operatur omnia ſecundum conſilium voluntatis ſuæ:* (Eph. 1. v. 51. 12.) *ut ſimus in laudem gloriæ ejus nos, qui ante ſperavimus in Chriſto*: ergone expectabit conſenſum voluntatis humanæ? ergone Deus nihil ſtatuet, niſi exploraverit humanos affectus, & voluntatis humanæ inclinationes, qua arte illam trahere, aut vincere poſſit? Hoc non eſſet operari ſecundum conſilium voluntatis ſuæ, ſed ſecundum conſilium voluntatis noſtræ.

VIII. Secundo probatur ex illo celebri teſtimonio D. Pauli *1. Cor. 4. v. 6. & 7.* quod ſuperius *q. 6. de ſcientia conditionatorum dub. 4. §. 1. n. 3.* ubi Paulus: *ne* (inquit) *ſupra quam ſcriptum eſt, unus adverſus alterum inflétur præ alio. Quis enim te diſcernit? Quid autem habes, quod non accepiſti? ſi autem accepiſti, quid gloriaris, quaſi non acceperis?* E quibus arguo ſic. Si decretum divinæ voluntatis non ſit ex ſe efficax, ſed pure indifferens, & a noſtra voluntate determinationem accipiens; ratio diſcernens conſentientem a non conſentiente, non erit voluntas Dei, neque id quod accepit a Deo, ſed voluntas conſentientis, & id quod habet ex ſuo libero arbitrio: & conſequenter unus homo poterit inflari, & gloriari adverſus alterum contra dictum Apoſtoli. Quod ſic oſtendo. Diſcretio inter aliqua duo non debet deſumi, nec reduci ad id, in quo cauſæ conveniunt, ſed ad id, in quo differunt: ſed conſenſurus, & non conſenſurus (juxta Contrarios) in decreto Dei conveniunt; illud enim, ut a Deo venit eſt indifferens, & æquale in utroque, nec magis ſecundum ſe efficax in uno, quam in altero; ſolumque differunt in hoc, quod unus pro libertate ſua illud determinat ad bonum opus, alter autem non; ergo diſcretio &c. ſicque conſentiens inflari poterit adverſus non conſentientem dicendo: ego mea libertate determinans voluntatem Dei ad bonum, me diſcrevi ad te.

IX. Explicatur hoc. Si Deus videret D. Petrum ante ullum ſuæ voluntatis decretum, ex ſua libertate determinare gratiam ſuam indifferenter illi oblatam ad pœnitentiam; videret etiam D. Petrum in illis occaſionibus ſe diſcernere a Juda, qui in eiſdem circumſtantiis inſpirationum, & gratiæ eam non determinaret, ſi eam illi offerret: atqui poſito decreto mere indifferenti, Deus hoc videret; ergo &c. min. probatur. Diſcretio Petri pœnitentis a Juda non pœnitente non videretur a Deo, ut procedens a ſuo decreto, & gratia: nam in ea ſententia bonus D. Petri conſenſus videretur futurus ante omne decretum, & licet ſupponatur aliquod decretum, quod eſſet, hoc erit pure indifferens, & indifferenter oblatus quantum eſt ex parte Dei; ergo tota diſcretio videretur a Deo unice in voluntate D. Petri determinante, & pro ſua libertate conſentiente præ Juda. Conferantur ea, quæ dicta ſunt *q. 6. citata de ſcientia contingentium dub. 4. §. 1. num. 5. &c.* ubi contrariorum reſponſiones referuntur, & refutantur.

X. Tertio probatur. Si decretum Dei foret pure indifferens, ſequeretur, quod Apoſtoli elegiſſent Chriſtum, non Chriſtus Apoſtolos contra illud Joan. 15. v. 16. *Non vos me elegiſtis, ſed ego elegi vos.* Quod probo ſic. Si decretum Dei eſt pure indifferens, jam conſenſus Apoſtolorum eſſet prævisus, ut ex innata eorum libertate futurus ante decretum vocationis, & electionis ipſorum; prius enim vidiſſet Deus, eos conſenſuros vocationi, deinde vocaſſet, & elegiſſet: cum ſecundum Contrarios ante decretum abſolutum eligendi Apoſtolos, prævidérit, quod in tali occaſione vocati, ſecuturi fuiſſent illum; ergo prius Apoſtoli elegiſſent ſequi Chriſtum; ergo non vere dixiſſet Chriſtus: *non vos me elegiſtis*: quia electio ſequendi Chriſtum primordialiter reluxit in eorum conſenſu vocationi, qui fuit prævisus ante omne decretum, & quo facta fuit efficax vocatio illorum, & non aliorum, qui ſimiliter vocati non venerunt.

XI. Confirmatur. Suppoſito, quod Deus prævidiſſet, Apoſtolos in tali occaſione vocationi non conſenſuros, vel potuiſſet ab eis in tali occaſione eos vocando obtinere conſenſum liberum, vel non? Si non potuiſſet; ergo primordialis ratio, quare ſecuti ſunt Chriſtum non fuit vocatio Chriſti, & electio, ſed eorum liber conſenſus. Si vero potuiſſet; ergo potuiſſet falſificare ſcientiam mediam, qua eos non conſenſuros prævidit. Rurſus, ſi potuiſſet; non certe id potuiſſet decreto mere indifferente, & ſolum efficaci ex conſenſu, qui ſupponeretur non futurus; ergo decreto per ſe, & ab intrinſeco efficaci. Videatur D. Aug. *de Prædeſt. SS. cap. 17.*

XII. Quarto. Poſito hoc decreto mere indifferente, ſequeretur inſuper, hominem prius diligere Deum, quam a Deo diligatur; quod diſſonat dicto Joannis epiſt. 1. cap. 4. v. 10. *Non quaſi nos dilexerimus Deum; ſed quoniam ipſe prior dilexit nos.* Probo aſſumptum. Deum amare hominem eſt Deum velle homini bonum gratiæ: unde decretum conferendi homini bonum gratiæ exprimit amorem Dei erga hominem; Hominem vero amare Deum eſt ejus gratiæ conſentire, conſenſus enim eſt verum amoris exercitium: atqui, juxta ponentes decreta indifferentia, Deus priuſquam decernat homini conferre gratiam ſuam, videt, hominem pro ſua innata libertate gratiæ conſenſurum, ſi eam illi dederit; ergo prius &c. Non ceſſarem ab adducendis Sacrar. Litterarum teſtimoniis. Verum tranſeamus ad Patres.

§. III.

S. Auguſtinus pro efficacia Divinæ Voluntatis.

XIII. OMnium Patrum in hac materia ducit agmen S. Auguſtinus, qui eam fuſius, quam cæteri, pertractavit adverſus Pelagianos, & Semipelagianos. Quamvis autem de ejus mente ſatis conſtare poſſet ex dictis *q. 6. De Scientia Conditionatorum toto dub. 5.* ubi ab ipſo negatam fuiſſe ſcientiam mediam demonſtravimus; aliqua tamen ejus teſtimonia huc adducere placet pro efficacia divinæ voluntatis directe militantia.

Primum ergo ſumitur ex *lib. de grat. & liber. arbitr. cap. 16.* ubi de divina voluntate, ait: *facit ut faciamus præbendo vires efficaciſſimas voluntati noſtræ, qui dixit faciam, ut in juſtificationibus meis ambuletis.* Et cap. 21. *agit* (inquit) *Omnipotens Deus in corde hominum, & motus voluntatis eorum, ut per eos agat, quod eos agere voluerit.* Si autem decretum Dei eſſet indifferens, quomodo poſſet facere, ut faciamus: quomodo poſſet per nos agere in cordibus noſtris, quod per nos agere vellet? Nonne oppoſitum potius inferretur?

Secundum ſumitur ex *lib. de corrept. & grat. cap. 14.* ubi docet hæc tria. Primum, quod Deus *de voluntatibus hominum, quod vult, cum vult, facit.* Secundum, quod *ſine dubio habet humanorum cordium quocumque voluerit inclinandorum Omnipotentiſſimam poteſtatem.* Tertium, quod *magis habet in ſua poteſtate voluntates hominum, quam ipſi ſuas.* Quæſo. Hæc omnia quomodo vera erunt, ſi Deus decreto mere indifferente ſe gerat erga hominum voluntates?

Tertium ſumitur ex *lib. 5. de Civit. Dei cap. 1.* ubi loquens de Fato, quod Stoici in Stellarum diſpoſitione collocabant, ait: *Si propterea quiſquam Fato tribuit, quia ipſam Dei voluntatem, vel poteſtatem Fati nomine appellat, ſententiam teneat, linguam corrigat.* Et cap. 9. *Quapropter* (inquit) *voluntates noſtræ tantum valent, quantum Deus eas valere voluit, atque præſcivit; & ideo quidquid valent, certiſſime valent; & quod facturæ ſunt ipſæ omnino facturæ ſunt .... quapropter ſi mihi Fati nomen alicui rei adhibendum placeret, magis dicerem, Fatum eſſe infirmioris, potentioris voluntatem, qui eum habet in poteſtate, quam illo cauſarum ordine, quem non uſitato, ſed ſuo more Stoici Fatum appellant; arbitrium noſtræ voluntatis auferri.* Peto ab Adverſariis, admitterent ne ipſi id, quod Stoici de ſuo Fato aſſerebant, dici poſſe de divina voluntate, ac poteſtate? Certe non credam. Fatum enim in quadam neceſſaria, & immutabili ſyderum diſpoſitione Stoici collocabant, ex qua omnia hæc inevitabiliter, & quidem neceſſario eveniebant; quod cum ſuo decreto indifferente, ac ſeſe humanæ voluntati attemperante cohærere non poteſt. Si ergo D. Auguſtinus Fati nomen divinæ voluntati accommodare non metuit, qua tantum valent, quantum illa valere voluit, & certiſſime valent voluntates noſtræ, quamvis non neceſſario, ut a Fato, ſed libere; clarum eſt, S. Doctorem non aſſeruiſſe Deo voluntatem indifferentem, & ad nutum humanæ voluntatis flexibilem, ſed voluntatem ordine ab ipſa præfinito cuncta infallibiliter, efficaciterque cauſantem.

XIV. Magiſtrum ſuum Auguſtinum imitatus S. Th. *1. p. q. 116. art. 1.* de Fato agens: *Sic igitur* (inquit) *inquantum omnia, quæ hic aguntur divinæ providentiæ ſubduntur, tamquam per eam præordinata, & quaſi prælocuta, Fatum ponere poſſumus; licet hoc nomine Sancti Doctores uti recuſaverint, propter eos, qui ad vim poſitionis ſyderum hoc nomen detorquebant. Unde Auguſtinus dicit in 5. de Civ. Dei: ſi propterea quiſquam res humanas Fato tribuit, puta ipſam Dei voluntatem, vel poteſtatem Fati nomine appellat, ſententiam teneat, & linguam corrigat.* Et quolibet. 12. *q. 3. art. 4.* Eſto Fatum repudiet, ſi per illud intelligatur neceſſitas quædam in res humanas ab influentia corporum cæleſtium inducta; ſi tamen per Fatum intelligatur diſpoſitio divinæ voluntatis, a qua omnia præordinantur, ſic non abnuit admittere Fatum: ſubdit tamen, hoc nomen non eſſe uſurpandum: *quia cum Gentilibus nec nomina debemus habere communia; & ideo Auguſtinus dicit: ſi quis hoc modo intelligat Fatum, ſcientiam teneat, linguam corrigat, & non dicat Fatum, ſed providentiam Dei.* Et ibidem aſſerit; quod *omnia a providentia Dei ſunt prædeterminata, & ordinata.*

§. IV.

S. Thomas pro efficacia Voluntatis Divinæ.

XV. POrro quamvis explorata adeo ſit D. Thomæ mens pro efficacia divinæ voluntatis; quia tamen decretorum

indifferentium aſſertores in ſuam opinionem, vel invitum, trahere conantur, operæ pretium erit in ejus mente exponenda paululum immorari. Tria ergo principia ſtatuit Angelicus Præceptor, ex quibus efficacia divinæ voluntatis per ſe, & ab intrinſeco talis invicte probatur.

XVI. Igitur primum eſt, quod contingentia, & libertas in operando deſumitur a voluntate divina, ut a radice, ex qua oritur tota neceſſitas, & contingentia in rebus creatis; reprobatque opinionem illorum, qui dicebant, contingentiam in cauſas ſecundas contingentes referri; quia ſequeretur, quod effectus cauſæ primæ impediretur *per defectum cauſæ ſecundæ ſicut virtus Solis per defectum plantæ impeditur. Nullus autem defectus cauſæ ſecundæ impedire poteſt, quin voluntas Dei effectum ſuum producat*. Ita 1. *p. q.* 19. *art.* 8. in corp. & concludit: *ideo melius dicendum eſt, quod hoc* (nimirum quod aliquis effectus ſit contingens, alius neceſſarius) *contingit propter efficaciam divinæ voluntatis*. Quare ibidem ad 3. *Poſteriora* (inquit) *habent neceſſitatem a prioribus ſecundum modum priorum: unde & ea, quæ fiunt a voluntate divina talem neceſſitatem habent, qualem Deus vult illa habere, ſcilicet vel abſolutam, vel conditionalem tantum*. Quod docet etiam 6. Metaph. lect. tertia in fine, & alibi. Ab hac doctrina toto cælo diſtant Moliniſtæ. Dicunt, effectum eſſe contingentem, quia cauſa ſecunda libera contingens eſt. Dicunt, effectum cauſæ primæ ex defectu cauſæ ſecundæ poſſe impediri. Dicunt, efficaciam divinæ voluntatis tollere contingentiam a rebus, & inducere neceſſitatem abſolutam.

XVII. Secundum principium eſt, quod divina voluntas reſpectu voluntatis creatæ non ſolum ſe habet ut principium dans ei inclinationem, virtutem, & poteſtatem libere operandi; ſed etiam in ea facit liberum velle, eam ad ipſum interius movendo. Ita 1. *part. quæſt.* 83. *artic.* 1. *ad* 3. his verbis: *liberum arbitrium eſt cauſa ſui motus; quia homo per liberum arbitrium ſe ipſum movet ad agendum. Non tamen hoc eſt de neceſſitate libertatis, quod ſit prima cauſa ſui id, quod liberum eſt; ſicut nec ad hoc, quod aliquid ſit cauſa alterius, requiritur quod ſit prima cauſa ejus. Deus igitur eſt prima cauſa movens, & naturales cauſas, & voluntarias: & ſicut naturalibus cauſis movendo eas, non aufert quin actus earum ſint naturales; ita movendo cauſas voluntarias, non aufert, quin actiones earum ſint voluntariæ: ſed potius hoc in eis facit. Operatur enim in unoquoque ſecundum ejus proprietatem*. Idem eadem 1. *part. quæſt.* 105. *art.* 4. ubi quærens, an Deus poſſit movere voluntatem, dicit, eam movere non ſolum per modum objecti, ſed *maxime interius eam inclinando*. Et ad ſecundum: *moveri* (inquit) *voluntarie eſt moveri ex ſe, ideſt a principio intrinſeco, ſed illud intrinſecum poteſt eſſe ab alio principio extrinſeco: & ſic moveri ex ſe, non repugnat ei, quod moveatur ab alio*. Ad tertium inſuper dat rationem, quare, etſi moveatur voluntas a Deo, adhuc ejus actiones ei imputentur ad meritum, vel demeritum; quia *quod movetur ab alio, non excluditur, quin moveatur ex ſe*. In *art. autem* 5. ſequente reſolvit, Deum operari in omni operante, quia primum Agens movet ſecundum ad agendum. *Deus autem movet non ſolum res ad operandum, quaſi applicando formam, & virtutes rerum ad operationem, ſicut etiam artifex applicat ſecurim ad ſciendum . . . . ſed etiam dat formam creaturis agentibus, & eas tenet in eſſe*. Et 3. *contra Gentes cap.* 89. *num.* 3. ubi ex quo voluntas creata non ſolum ſit data a Deo, ſed inſuper agat in virtute Dei, ad eum modum, quo inſtrumentum agit in virtute artificis, a quo applicatur ad actum, concludit: *Deus igitur eſt cauſa nobis, non ſolum voluntatis: ſed etiam volendi*. Et *cap.* 90. ubi reſolvit, electiones, & voluntates humanas ſubeſſe divinæ providentiæ, oſtendit, eas magis ſub hoc ordine cadere, quam actiones aliarum rerum. Et ad dictum Damaſceni lib. 2. de fide cap. 30. *quod ea, quæ ſunt in nobis Deus prænoſcit, ſed non prædeterminat*; reſpondet, exponendum eſſe, *ut intelligantur, ea quæ ſunt in nobis divinæ determinationi non eſſe ſubjecta, quaſi ab ea neceſſitatem accipiendam*. Videri poteſt, *quæſt.* 3. *de potentia artic.* 3. ubi per totum docet, Deum non ſolum præbere omnibus cauſis virtutes, per quas agere poſſunt; ſed etiam eas movere ad operationem maxime ad 12. 13. & 14. quæ omnia eſſent hic tranſcribenda. Hæccine concordant cum iis, quæ docent Adverſarii, nimirum, Deum, ejuſque voluntatem reſpectu noſtri concurſus ſe gerere indifferenter, noſtramque expectare determinationem, ut efficax ſit? Nunquid movens expectat determinari, & applicari a mobili? Artifex a ſecuri ad ſcindendum, an potius e contra? Hæc Div. Thomæ doctrina viſa eſt P. Molinæ adeo difficilis, ut eam ad ſuam mentem trahere non valens, tandem non admiſerit. *In Concord. diſp.* 26. *in princ.*

XVIII. Tertium pirncipium eſt, quod voluntas divina ex quo efficaciſſima ſit, faciat, & conſervet, & non neceſſitet voluntatem; quia ex quo efficax, non ſolum eſt cauſa actus, ſed etiam libertatis ejus, & non ſolum facit ut res fiat, ſed ut ſuo modo fiat, nempe, vel neceſſario ſi cauſa ſit neceſſaria, vel libere ſi cauſa libera ſit. Ita hac 1. *p. q.* 19. *art.* 8. *q.* 23. *de verit. art.* 5. & 1. *contra Gent. cap.* 89. & 90. Cum hoc autem principio ſtare non poteſt, quod voluntas divina pro priori ad noſtrum conſenſum, & ex natura ſua non ſit efficax, ſed talis evadat ex ipſo conſenſu; & quod ſi ſua efficacia antecederet conſenſum noſtrum, ejus everteret libertatem.

XIX. Hæc tria D. Thom. principia, utpote fundata in dependentia, quam habet voluntas ut ſecunda cauſa, & ſecundum liberum a prima cauſa, & primo libero, & in jure, quod habet Deus ſuper actionem cujuſcumque creaturæ, probant, ſi ſerio expendantur, divinam voluntatem ſua motione, & efficacia antecedere actus, nedum ordinis ſupernaturalis, ſed & naturalis, nedum in ſtatu naturæ corruptæ, ſed etiam innocentis, nedum hominum, ſed & Angelorum, contra id, quod aſſerunt Juenin, aliique, ut ſuperius etiam oſtenſum eſt præcitata *quæſt.* 6. *de ſcientia condit. dub. ult.*

§. V.

Rationes pro eadem efficacia.

XX. PRima ratio deſumpta ex doctrina allata D. Thomæ talis eſt. Deus operatur in omni operante actionem ejus, ſive ſit neceſſarium, ſive liberum. *Iſaiæ* 26. v. 12. *Omnia enim opera noſtra operatus es nobis*: Et *Philip.* 2. v. 13. *Deus eſt enim, qui operatur in nobis, & velle, & perficere pro bona voluntate*: & hanc in nobis cauſat Deus, non ſolum ſecundum ſe, ſed etiam prout a cauſa ſecunda, ſeu a nobis; quia etiam pro ut a nobis, eſt aliquid phyſicum, reale, & creatum, ac proinde, ut ſic, nequit ſubterfugere cauſalitatem Dei: ſed Deus nequit in quacumque cauſa creata, ſive neceſſaria, ſive libera cauſare ejus operationem etiam prout a cauſa creata, niſi voluntate, & motione per ſe, & ab intrinſeco efficaci; ergo &c. Min. prob. primo. Deus nequit in creatura operari actionem ejus, prout ab ipſa, niſi efficaciter faciat, ut illa agat: ſed nequit efficaciter facere, ut agat, niſi decreto, & motione efficaci, & prævia: per concurſum enim ſimultaneum non facit, ut creatura agat, ſed cum ea agente agit: immo cum concurſus ſimultaneus ſit ex ſe indifferens, & a creatura determinetur, verificatur potius, quod creatura faciat, ut Deus agat, quam quod Deus faciat, ut creatura agat; Ergo &c. Maj. probat. Cauſare in creatura actionem pro ut a creatura, non eſt pure cum illa operante concurrere, ſed influxum Dei habere prioritatem cauſalitatis reſpectu creaturæ, ut actu cauſantis, ſeu ponentis operationem: ſed hoc eſt, quod nos vocamus efficaciter velle, & efficaciter facere, ut creatura faciat; ergo &c. Quare ſuperius cum S. Auguſtino, *lib. de natur. & gratia cap.* 16. dicebamus: *ipſe facit, ut faciamus præbendo vires efficaciſſimas voluntati noſtræ; qui dixit: faciam, ut in juſtificationibus meis ambuletis, & cap.* 21. *agit Omnipotens Deus in corde hominum, & motus voluntatis eorum, ut per eos agere voluerit*.

XX. Secunda ratio eſt. Si decreta divinæ voluntatis circa actus liberos creatos non ſint ex ſe efficacia, ſed pure indifferentia, non determinantia, ſed determinata a voluntate creata, ſequitur, liberam determinationem noſtræ voluntatis ad conſentiendum gratiæ Dei vocantis non tribui divinæ voluntati, ſed potius (& dicam, unice) voluntati creatæ: ſed hoc eſt abſurdum, & Pelagianum; ergo &c. Major prob. pro prima parte. Effectus potiori jure tribuitur illi cauſæ, a qua habet primo, ut determinate ſit potius, quam non ſit; quam cauſæ, a qua habet indifferenter ut ſit, vel non ſit: ſed poſito decreto mere indifferenti, conſenſus liber gratiæ vocanti haberet primo a voluntate creata, ut determinate ſit, quam non ſit; præviſus enim fuiſſet futurus ex innata libertate voluntatis ante omne decretum actu exiſtens: & ſi decretum aliquod connotaretur, non daret conſenſui determinate potius eſſe, quam non eſſe, quia eſſet mere indifferens; ergo &c. Pro ſecunda vero parte, quod conſenſus gratiæ vocantis unice tribueretur voluntati creatæ, prob. Si determinatio creaturæ ad conſenſum intelligatur futura ante decretum Dei efficax, & ante concurſum Dei, jam conſenſus ille erit tribuendus unice voluntati creaturæ pro ſua libertate ſe determinanti, & non Deo; quod enim prævidetur futurum ante decretum efficax, & concurſum Dei, non poteſt eſſe effectus Dei, quia effectus non poteſt prævideri futurus ante determinationem, & concurſum ſuæ cauſæ: ſed hoc contingeret in principiis ſententiæ contrariæ; ergo &c.

XXII. Quod urgeo ſic. Peto enim: illud decretum ſuapte natura indifferens, a quo determinatur magis ad conſenſum, quam ad diſſenſum? a Deo, an a creata voluntate? ſi a Deo; ergo decretum illud prius natura determinat voluntatem creatam, & non deſcendit in illam, ut pure indifferens, ſed ut ex ſe efficax. Si vero determinatur a creatura, ut ipſi volunt; ergo concurſus creaturæ conſentientis præcedit concurſum Dei; quia determinans in quantum tale, cum habeatur ut forma, & actus, debet natura præcedere id, quod determinatur.

XXIII. Nec valet dicere (ut communiter dicunt) Deum eſſe cauſam illius determinationis ad conſenſum, quia illum cum voluntate creata coefficit, & ſimul agit.

Nam contra eſt. Cum concurſus ut a Deo ſit indifferens, ut agat unum præ alio, expectat uſum, & determinationem cauſæ liberæ creatæ, quomodo autem determinabit concurſum Dei cauſa libere creata, quæ nihil efficit ſine concurſu Dei? Vel quomodo conjungentur illæ duæ cauſæ indifferentes, ſcilicet voluntas creata, & decretum Dei indifferens, niſi caſualiter, & fortuito, ſi vel decretum non determinat voluntatem, vel voluntas decretum? Si primum: Habemus decretum prædeterminans. Si ſecundum; ergo conſenſus, & determinatio creaturæ prior erit concurſu Dei. Fateor enim, Deum cum voluntate conficere conſenſum; ſed cur conſenſum potius coefficiat, quam diſſenſum, hoc a voluntatis creatæ libera determinatione procedit in Moliniſtarum ſententia.

XXIV. Tertia ratio eſt. Si decretum Dei eſſet ex ſe pure indifferens, & expectans a voluntate noſtra efficaciam ad conſenſum, jam Deus non haberet tam perfectum dominium ſupra noſtros actus liberos, ſicut habet voluntas noſtra: ſed hoc eſt contra Auguſtinum citatum *lib. de corrept. & gratia c.* 4. dicentem: *Deus magis habet in ſua poteſtate voluntates hominum, quam ipſi ſuas*; ergo &c. Major prob. Voluntas hominis poſſet pro ſua libertate ſe ipſam determinare ad conſenſum, neque ſui determinationem, & efficaciam ab alia cauſa teneretur petere, & expectare; Deus autem non poſſet ſua libertate voluntatem creatam ad conſenſum determinare quoad efficaciam; ſed determinationem, & efficaciam a libero voluntatis creatæ arbitrio deberet petere, & expectare; ergo magis habebit homo in manu ſua voluntatem ſuam, quam ipſe Deus. Unde falſum redderetur aliud Auguſtini principium laudato cap. dicentis: *Voluntati Dei, qui in Cælo, & in Terra omnia quæcumque voluit fecit, & qui etiam omnia, quæ futura ſunt fecit, humanas voluntates non poſſe reſiſtere, quominus faciat ipſe, quod vult: quandoquidem etiam de ipſis hominum voluntatibus, quod vult, cum vult, facit*.

XXV. Urgeo hoc. Decretum illud indifferens, vel eſt generale, & abſolutum concurrendi ad quodcumque homo voluerit; vel ſpeciale, & conditionatum, nempe *volo concurrere ad amorem, ſi voluntas creata velit, vel ſe determinet*. Si dicatur primum; ergo oblatio concurſus Dei ſupponit creaturam prius ſe determinare ad conſenſum, quam Deus cum ea concurrat, ſicut ſi quis dicat: ſi volueris portare lapidem, tecum ad illum portandum concurram; concurſus iſtius ſupponit alterum ſe prius determinare ad lapidem portandum, & ejus determinationem expectat: & rurſus determinatio unius ad portandum lapidem in nullo penderet a voluntate alterius parati concurrere cum eo ad illum portandum, ſuppoſito, quod ſe determinaverit. Præterea modus ille concurrendi erit ſine intentione alicujus particularis actus, ergo erit cæcus, & ignarus, facietque Deum, ſimilem piſcatori, qui mittit rete in mare, ignorans quos piſces ſuo rete concludat. Quo poſito: quomodo ſtabit Dei Providentia, qua confiteri tenemur, nihil eſſe, aut futurum eſſe, quod ab ipſo diſpoſitum non fuerit, ac ordinatum? Si vero dicatur ſecundum: fiet ſenſus nugatorius, immo repugnans. Nugatorius; quia cum concurſus Dei juxta contrarios nil aliud, quam actio ipſa creaturæ prout a Deo, dum Deus diceret volo concurrere ad amorem, ſi creatura ſe determinaverit, idem erit, ac dicere: volo concurrere ad amorem, ſi concurram ad amorem, vel ſi videam amorem a creatura produci: qui ſenſus eſt repugnans, nempe quod videatur amor a creatura ponendus, priuſquam Deus ſuo concurſu illum decreverit. Sicut ſi quis diceret: dabo tibi lucem ſi videris, vel dabo tibi exiſtentiam ſi opereris. Vel nugaretur, cum lux ſit neceſſaria ad videndum, & exiſtentia ad operandum; vel ſupponeret, ipſum poſſe videre ſine luce, & operari ſine exiſtentia, vel ſaltem pro priori ad lucem, & exiſtentiam. Ita in caſu, Deum velle concurrere ad amorem; ſi creatura velit, vel eſt irriſorie velle, ſi creatura non poteſt velle amorem ſine concurſu Dei; vel ſupponit Deus, creaturam poſſe ante, vel ſine ſuo concurſu velle amorem.

XXVI. Ex quo, & ſuperius dictis naſceretur, nullam fore neceſſitatem Orationis. Cur enim petimus a Deo bonum conſenſum, qui eſt in manu noſtra prius, immo & potius, quam in manu Dei? *Nam quid ſtultius, quam orare, ut facias, quod in poteſtate habeas*? (ait Aug. *lib. de nat. & grat. cap.* 18.) ergo ſi auxilii, & concurſus efficacia in manu noſtra eſt, & non Dei, quid a Deo petimus bonum conſenſum? Nam a Deo quid petimus? auxilium, ſeu concurſum? at hoc fruſtra petimus, cum juxta Adverſarios, omnibus etiam obduratis præſto ſit. An petimus gratiæ uſum, & efficaciam? at hoc ſtulte petimus, cum bonus uſus, & efficacia in manu noſtra ſit, & non Dei: quid autem ſtultius, quam orare, ut facias, quod in poteſtate habes?

XXVII. Quarta ratio valde efficax, ſuperius etiam attacta *de Scientia Dei, q.* 6. *dub.* 7. §. 2. *num.* 13. talis eſt. Si non eſſet in poteſtate Dei pro ſua voluntate obtinere a me bonum actum; ſed deberet prius explorare, & expectare a mea voluntate determinationem, & conſenſum, ſequeretur, poſſe dari hominem, quem Deus nullo modo poſſet convertere: ſed hoc eſt abſurdum; ergo &c. Major, & minor probandæ ſunt. Major quidem. Poteſt dari homo, quem Deus prævideat ſub nullo ex ſuis auxiliis conſenſurum: ſed iſte non poſſet a Deo converti, cum non poſſit Deus hominem convertere, niſi dependenter a præviſione conſenſus ejus; Ergo &c. prob. maj. Ideo poteſt contingere caſus, quo Deus prævideat, Petrum v. g. in hac circumſtantia, aut hoc auxilio non conſenſurum; quia Petrus liber eſt ad conſenſum, aut diſſenſum, & hoc auxilium utpote indifferens non connectitur cum conſenſu præ diſſenſu: ſed Petrus in quacumque circumſtantia liber eſt, & nullum ex auxiliis poſſibilibus connectitur cum ſenſu, cum omnia etiam collective ſint indifferentia; ſicut ex quo quælibet creatura ſit contingens, colligimus totam creaturarum collectionem eſſe contingentem; ergo dabilis eſt caſus, quo Deus prævideat, hominem ſub nullo ex ſuis auxiliis etiam poſſibilibus conſenſurum.

Minor vero prob. Tum quia abſurdum eſt, Deum ex ſuppoſitione ſibi non libera reddi impotentem ad cor hominis inclinandum: ſi enim *cor Regis in manu Domini, quocumque voluerit, inclinabit illud*, Prob. 21. v. 1. quomodo hoc ſtaret, ſi Deus vellet cor hominis inclinare, & nequiret? vel (quod eſt indignius) ideo facere nequiret, quoniam ne fieret, & fieri ab Omnipotente poſſet, voluntas hominis impediret? Quomodo ſtaret, Deum *malas hominum voluntates, quas voluerit, quando voluerit, ubi voluerit in bonum poſſe convertere?* ut docet Aug. *in Enchirid. cap.* 98. quomodo inſuper verum eſſet, quod *ſine dubio habet Deus humanorum cordium, quo placeret inclinandorum Omnipotentiſſimam poteſtatem?* ut idem Auguſt. docet *lib. de corrept. & grat. cap.* 14.

XXVIII. Quod magis urgetur. Inconveniens eſt, quod aliquid abſolute Deo poſſibile, fiat ei impoſſibile ex ſuppoſitione ipſi non libera: ſed poſito decreto pure indifferente, aliquid abſolute Deo poſſibile ex ſuppoſitione Deo non libera; ergo &c. Min. prob. libera converſio Judæ poſt proditionem abſolute, & ex terminis Deo poſſibilis eſt: & tamen ex ſuppoſitione, quod Deus præviderit per ſcientiam mediam, Judam libere non conſenſurum, illa converſio facta eſt Deo impoſſibilis ex ſuppoſitione non poſitionis conſenſus, & poſitionis ſcientiæ mediæ de non conſenſu Judæ, quorum neutrum eſt liberum Deo ex principiis Adverſariorum: ergo poſito decreto pure indifferenti, aliquid abſolute Deo poſſibile, fit illi impoſſibile &c.

§. VI.

Fundamenta contraria ex Scriptura, & Patribus.

XXIX. PRimo in favorem decreti, & gratiæ mere indifferentis objiciunt Teſtimonium Apoſtoli 2. *Cor.* 6. *v.* 1. *Exhortamur, ne in vacuum gratiam Dei recipiatis*. Et *Heb.* 12. *v.* 15. *Contemplantes, ne quis deſit gratiæ Dei*. Ex quibus arguunt ſic. Paulus hortatur nos, ne gratiam Dei reddamus vacuam, ideſt inefficacem, & quod illi non deſimus, ideſt, quod eam non reddamuus inanem, & caſſam: ſed gratia, quam reddere poſſumus vacuam, & inanem, non eſt gratia ab intrinſeco efficax, hanc enim vacuam reddere, aut ei deeſſe non poſſumus; ſed eſt gratia Dei indifferens, & expectans efficaciam a noſtro bono uſu, & conſenſu; ergo &c.

XXX. Reſponderi poteſt primo, Paulum ibi loqui, non de gratia actuali intrinſeca dante actu agere; ſed vel de gratia habituali, ſeu de gratiis ſufficientibus, aut de divinis vocationibus, quibus Deus ad oſtium cordis noſtri ſtat, & pulſat: his hortatur Apoſtolus, ut aperiamus. Quo ſenſu intelligenda ſunt verba Proverb. 1. 24: *Vocavi, & renuiſtis*: Et *Iſaiæ* 65. *v.* 12. *Vocavi, & non reſpondiſtis, locutus ſum, & non audiſtis*. Prælaudatum Pauli textum *ex* 2. *ad Cor.* de gratia habituali intelligit D. Thom. ibi lect. 1. dicens: *Ne in vacuum gratiam Dei recipiatis, quaſi dicat: Ne receptio gratiæ ſit vobis inutilis, & vacua. Quod tunc contingit, quando ex perceptione gratiæ, quis non ſentit fructum: qui quidem duplex eſt, ſcilicet remiſſio peccatorum, Iſaiæ* 27. hic eſt hominis fructus &c. *& ut homo juſte vivendo perveniat ad gloriam cæleſtem, Rom.* 6. habetis fructum veſtrum &c. *Quicumque ergo gratia percepta non utitur ad vitandum peccata, & conſequendum vitam æternam, hic gratiam Dei in vanum recipit*. Hoc idem ſenſerat S. Joan. Chryſoſt. *hom.* 12. in dictum cap. 2. ad Cor. his verbis: *Nam ut ne putent, hoc ſolum eſſe conciliationem, credere loquenti, urget petens vitæ diligens ſtudium. Nam ſi his, qui a peccatis liberatus eſt, & amicus factus, iterum involvit ſe prioribus; quid aliud agit, quam quod ad inimicitias redit, & in vanum gratiam accepit?* Eodem modo reſponderi poteſt textui ad Hebræos, quamvis D. Thom. ibi *lect.* 3. etiam de gratia actuali illum explicet, ut dicemus.

XXXI. Reſpondeo ſecundo, dato, Apoſtolum ibi loqui de gratia actuali, & efficaci, exponendo ejus verba ſic: *Ne in vacuum &c. ne quis deſit gratiæ Dei*. Ita, ut gratiam Dei non reddere vacuam, aut gratiæ non deeſſe ſic pure ex bono uſu liberi arbitrii gratiam determinantis, nego, hanc eſſe Apoſtoli mentem. Ita, ut bonus uſus gratiæ, ſeu gratiam non reddere vacuam, & gratiæ non deeſſe ſit ex gratia præveniente, & præparante voluntatem, concedo. Ita S. Thomas ſuper cap. relatum ad Hebræos, ubi ad illud: *ne quis deſit gratiæ Dei*, ſic ait: *Dicendum, quod hoc ipſum, quod aliquis non ponit obſtaculum, ex gratia procedit . . . . Hoc autem donum gratiæ non eſt gratum faciens. Quod ergo a quibuſdam removetur hoc obſtaculum, hoc eſt ex miſericordia Dei*, qui ſcilicet dat alicui, ut non deſit, aut non obſtet gratiæ, alteri autem non dat, juxta illud Pauli Pom. 9. v. 18. *Cujus vult miſeretur, & quem vult indurat*. Et S. Aug. *lib.* 2. *contra duas epiſt. Pelag. cap.* 9. exponens illud Prov. lib. 16. v. 1. *Hominis eſt præparare cor, & a Domino reſponſio linguæ*: poſtquam ait, hoc debere intelligi, *quia homo præparat cor, non tamen ſine adjutorio Dei, qui ſic tangit cor, ut homo præparet cor*: & infra: *hominis eſt præparare cor; & tamen ut hoc faciat homo, adjuvat Deus, quia præparatur voluntas a Domino*. Poſt multa concludit: *avertat enim Deus hanc amentiam, ut in donis ejus nos priores faciamus, poſteriorem ipſum; quoniam miſericordia ejus præveniet me*. Dicere autem ex noſtro bono uſu gratiam Dei reddi non vacuam, ideſt efficacem, nonne eſt facere in donis Dei *priores nos, poſteriorem ipſum?* legendus attente eſt S. Auguſtinus ibi.

Ratio autem hujus veritatis eſt. Quia cum non deeſſe gratiæ vocanti, puta ad fidem, eamque non recipere in vacuum, ſit obedire gratiæ, & credere; ſi eſſet ex nobis, ut gratiam determinantibus, & ideo prævenientibus, jam initium fidei, & boni operis eſſet ex nobis, quod ad minus Semipelagianum eſt aſſerere: & qui conſentiret fidei, & crederet, a non conſentiente, & non credente ſe diſcerneret contra illud Pauli 1. Cor. 4. v. 7. *Quis enim te diſcernit? quid autem habes, quod non accepiſti?* poſſentque conſentiens adverſus non conſentientem inflari contra dictum ejuſdem Apoſtoli ibi v. 6. *Ne ſupra quam ſcriptum eſt, unus adverſus alterum infletur pro alio*.

Porro: Eſto non deeſſe gratiam Dei, vel eam non vacuam reddere ex gratia nimirum præveniente, & inchoante ſit: adhuc tamen Apoſtolus poterat Corinthios hortari, ne gratiam vacuam reddant, & Hebræos, ne illi deſint; non quidem

dem fruſtrando, vel impediendo effectum, ad quem immediate datur, hoc enim eſt impoſſibile, alias non eſſet efficax: ſed impediendo ulteriores gratiæ fructus, & effectus, ac ulterioribus gratiis (male vivendo) obicem ponendo. Et rurſus: quia ſicut ſtat bene, quod Deus hortatur nos, ut efficaciter convertamur ad ipſum, licet hoc ſine gratia præveniente non faciamus; prius enim eſt, quod Deus ſua gratia præveniente convertatur ad nos, quam nos cooperatione noſtra convertamur ad ipſum: ita ſtat bene, quod Paulus hortatur nos, ne in vacuum gratiam Dei recipiamus, licet eam non recipere in vacuum ex gratia ſit; quia divina gratia eſto præveniat, libertatem tamen relinquit indemnem. Quare Tridentinum ſeſſ. 6. cap. 5. *Cum dicitur* (inquit) *Zachariæ* 1. v. 3. Convertimini ad me, & ego convertar ad vos: *Libertatis noſtræ admonemur. Cum reſpondemus.* (*Jerem. in fine Orationis*) Converte nos Domine ad te, & convertemur, *Dei nos gratia præveniri confitemur.*

XXXII. Hinc D. Auguſt. *lib.* 4. *contra duas epiſt. Pelagian. cap.* 6. qui, ut liberum arbitrium contra Manichæos tuerentur, liberum arbitrium contra Catholicos extollebant, ac præcedere voluntatem, gratiam vero conſequi aſſerebant, afferentes illud Iſaiæ 1. v. 19. *Si volueritis*, & *audieritis me, quæ bona ſunt terræ edetis &c.* ait: *Si autem ſic intelligerent quod dictum eſt*, ſi volueritis, *ut etiam ipſam bonam voluntatem illum præparare confiterentur, de quo ſcriptum eſt*: Præparatur voluntas a Domino; *tamquam Catholici uterentur hoc teſtimonio: & non ſolum hæreſim veterem Manichæorum vincerent, ſed novam Pelagianorum non conderent.*

Quia vero & Pelagiani dicebant, *gratiam adjuvare bonum propoſitum*, ait S. Doctor: *hoc ſine ſcrupulo acciperetur Catholice dictum, ſi non in bono propoſito meritum ponerent.... ſed intelligerent, & confiterentur, etiam ipſum bonum propoſitum, quod conſequens adjuvat gratia, non eſſe potuiſſe in homine, ſi non præcederet gratia.* Sed quia Pelagiani addebant, *non tamen reluctanti ſtudium virtutis* (Deum) *immittere*; Reſpondet S. Doctor: *poſſet bene intelligi, ſi non ab iſtis, quorum ſenſus notus eſt, diceretur. Reluctanti enim prius auditus divinæ vocationis ipſa Dei gratia procuratur, ac deinde in illo jam non reluctante ſtudium virtutis accenditur.* Vel ergo arguens vult, & confitetur, ipſum non reluctari gratiæ, ex quo ſtudium virtutis accenditur, eſſe ab ipſa gratia præveniente, & reluctantiam ſuperante, vel non. Si non: cum Pelagianis ſentit, teſte Auguſtino. Si vero ſic: fateatur, oportet bonum uſum gratiæ non ſolum non eſſe ſine gratia concomitante, & indifferente (hoc enim, & Pelagiani fatebantur) ſed bonum uſum a gratia præveniente, & reluctantiam vincente ſibi procurari, & fieri, & conſequenter fateatur gratiam præviam, & per ſe efficacem. Oportuit hic immorari, ut jaceremus noſtræ ſcientiæ fundamentum.

XXXIII. Objiciunt ſecundo illud *Iſaiæ* 5. v. 4. *Quid eſt, quod debui ultra facere vineæ meæ, & non feci ei? an quod expectavi, ut faceret uvas, & fecit labruſcas?* Ex quibus arguunt ſic. Conqueritur Deus de vinea Iſraelis, quod dederit ei omnem gratiam, quæ poterat deſiderari, ut faceret uvas bonæ converſionis, & fecit labruſcas: at gratia hæc non fuit per ſe efficax, nam ſtante hac, de facto converſa fuiſſet; ergo fuit gratia de ſe indifferens, & expectans bonum uſum; unde ſubdit: *expectavi, ut faceret uvas, & fecit labruſcas.*

XXXIV. Reſpondeo, Deum juſte conqueri de vinea Iſraelis, eo quod dederit illi omnia ſufficientia, & neceſſaria, quæ ut univerſalis proviſor tenebatur illi dare, ut poſſet facere uvas; eſto illi non dederit omnia etiam ultra neceſſaria indebita, quæ poterat illi dare, ut Proviſor ſpecialis. Quapropter, ſi dicatur quod ultra auxilia ſufficientia poterat Deus dare illi etiam auxilia efficacia ad converſionem, diſtinguo. Poterat, & tenebatur Deus dare tamquam debita, nego. Et non tenebatur, quia indebita, & prorſus gratuita, concedo. Non enim dubium eſt (& hoc etiam in Adverſariorum ſententia) Deum potuiſſe multa alia dare illi, quibus de facto obtinuiſſet uvas bonæ converſionis; ni dicamus Deum non potuiſſe a vinea Iſraelis bonam converſionem obtinere, quæ tamen de facto ei non dedit. Sed quia hæc indebita erant, nulla juſta occaſio vineæ illi aderat conquerendi de Deo, ſi illa non dederit; juſtam tamen rationem habuit Deus conquerendi de illa, quod fructum non dederit, cum ab eo accepiſſet omnia neceſſaria, & debita, ut poſſet facere, & non fecit uvas, ſed labruſcas: querela enim fundatur in poſſe, teneri, & non facere. Et quod hæc ſit legitima expoſitio præfati textus indicant Domini verba. Non enim dicit: *Quid ultra potui facere, & non feci? Sed: quid ultra debui*; ideſt, quid illi ex debitis, ut poſſet facere, defuit.

XXXV. Quod autem non omnia illi Deus dederit, quæ poterat dare, omnes etiam Molinæ diſcipuli (ut dicebam) tenentur fateri. Etiamſi enim Deus ſolum det concurſum, & vocationem ſolum moralem, & indifferentem; tamen ſciebat, quod ſi illi vineæ dediſſet vivaciorem propoſitionem objecti, fortiores inſpirationes, & plura alia adminicula, ſicut ſciebat congruere, ſine dubio vinea illa fructus bonos fuiſſet factura: ni dicamus, non potuiſſe illam convertere; ergo potuit Deus aliquid ultra facere ei, quod non fecit ei: ſed tamen, quia hoc facere non tenebatur, & aliunde fecit ei, quod ſufficiens erat, juſte de illa conqueritur; nec iſta juſte conqueri poteſt de Deo, quod potuerit illi dare, & non dederit, quia non tenetur. Licet namque Deus poſſit ſua infinita virtute tollere impedimenta, & obſtacula, quæ homo ponit gratiæ; tamen non ſemper tenetur, nec ordinarius rerum curſus petit, ut id faciat; quia in rebus contingentibus, & defectibilibus, ad univerſalem Proviſorem pertinet, etiam aliquando defectus permittere, & non ſemper eodem modo procedere, aut ad idem movere, maxime ſi præceſſerit culpa, vel tempore, vel natura, quæ ipſum tali gratia efficiat indignum.

XXXVI. Objiciunt tertio illud *Matth.* 11. ubi Chriſtus v. 21. *Væ tibi* (inquit) *Corazain, væ tibi Bethſaida; quia ſi in Tyro, & Sidone factæ eſſent virtutes, quæ factæ ſunt in vobis, olim in cilicio, & cinere pœnitentiam egiſſent*, quæ repetit *Lucæ* 10. *v.* 13. Ex quibus ſic arguunt. Chriſtus reprehendit Hebræos præ Tyriis, quia dedit eis omnia, quibus Tyrii converſi fuiſſent, & tamen ipſi non ſunt converſi: ſed Hebræis non dedit gratiam per ſe efficacem, alias de facto converſi fuiſſent; ergo gratia requiſita ad bonum conſenſum non eſt per ſe, & ab intrinſeco efficax.

XXXVII. Huic objectioni abunde ſatisfactum eſt *in Tract. de Scientia Dei q. 6. de ſcient. condit. dub.* 4. §. 3. *a. n.* 16. Ubi etiam Adverſariorum inſtantias ex D. Auguſt. & Thoma ſolutæ ſunt. Illuc ergo ſtudioſum remitto.

Ad præſens tamen breviter dico, Hebræos fuiſſe a Chriſto juſte reprehenſos comparate ad Tyrios; quia cum Hebræis dediſſet omnia auxilia neceſſaria, immo & validiora, quibus poſſent converti, converſi non fuerunt, cum tamen Tyrii converſi fuiſſent. Ad id quod additur, nego, quod Deus dederit Hebræis omnia, quibus de facto Tyrii converſi fuiſſent: nam dedit quidem Hebræis omnia auxilia ſufficientia, quibus poſſent converti, quæ dediſſet Tyriis; at donum actualis converſionis, quo Tyrii converſi fuiſſent, ac bonum uſum gratiæ feciſſent, Hæbreis non dedit, alioquin, & ipſi converſi fuiſſent. Quomodo autem hoc non obſtante potuerit Chriſtus juſte reprehendere Hebræos comparative ad Tyrios, loco ſuperius indicato oſtenſum eſt.

XXXVIII. Interim oſtendam, hoc argumentum ab ipſiſmet Adverſariis eſſe ſolvendum. Nam in primis actualem converſionem quam dediſſet Deus Tyriis, & non dedit Hebræis, eſſe donum Dei diſtinctum a dono auxiliorum ſufficientium; quod utriſque fuiſſet datum, admittere debent, & ipſi, niſi velint Pelagiane loqui, & dicere, Tyrios ex propriis, non ex dono gratiæ ſe diſcreturos fuiſſe ab Hebræis, & non ex eo, quod accepiſſent, contra dictum Pauli ſuperius expenſum.

Deinde Adverſarii dicunt, ad bene operandum eſſe neceſſariam gratiam congruam, qua poſita, bonum opus infallibiliter ponitur, cujus gratiæ poſitio, vel ablatio in ſolius Dei eſt poteſtate, qui pro libito ponit hominem in iis circumſtantiis, in quibus ſcit ei congruere: & hoc docere tenentur ex præcepto Reverendiſſimi Aquavivæ PP. Societatis dato 14. *Decembris* 1613. referentibus Tannero 1. 2. *q.* 109. & Paulo Leonardo *de ſcientia media.*

Rurſus: Concors eſt PP. Societatis ſententia, Deum per ſcientiam mediam certo cognoſcere, hominem infallibiliter bene operaturum, ſi ei tale auxilium in tali circumſtantia exhibeatur; non autem operaturum, ſi ei aliud auxilium, aut in alia circumſtantia conferatur. Hoc ſuppoſito, quæro. Hanc gratiam congruam, hoc auxilium, & in ea circumſtantia, ſub qua cognovit, bene operaturos, quod dediſſet Tyriis, deditne Deus Hebræis? Si dicant quod non, alias Hebræi converſi fuiſſent, ut Tyrii; Rurſus quæro. Juſtene reſpondiſſent Chriſto Hebræi: Domine, ſi obtuliſſes illam gratiam congruam, vel illud auxilium, quibus prævideras nos conſenſuros, & quæ ſciebas eſſe ad noſtrum conſenſum neceſſaria, quæ Tyriis conceſſiſſes, converſi eſſemus. Quare ergo nobis ea denegaſti, quæ illis dediſſes? Tu bene ſciebas, ſine illis fore nos convertendos, & quod ea acquirere in noſtra non erat poteſtate.

Non aliter certe reſpondere poterunt PP. Societatis aut alii quicumque, niſi quæ loco ſupra relato ex D. Auguſt. Proſpero, & Angelico noſtro reſpondimus. Auxilium enim gratiæ quibuſcumque divinitus datur, miſericorditer datur; quibus autem non datur, ex juſtitia non datur, in pœnam præcedentis peccati, & ſaltem originalis; quæ doctrina eſt Auguſtin. *lib. de correpr. & grat. cap.* 5. *&* 6. & *de dono perſeverantiæ cap.* 6. *&* 11. Ideoque licet quærendum non ſit, cur Deus iſtum trahat, ſed reducendum ad ejus inſcrutabilia judicia: cur tamen iſtum non trahat, quæri poteſt. Unde D. Thomas 1. 2. *q.* 112. *art.* 3. *ad* 2. *defectus* (inquit) *gratiæ prima cauſa eſt ex nobis: ſed collationis gratiæ prima cauſa eſt a Deo ſecundum illud Oſeæ* 13. Perditio tua ex te Iſrael, tantummodo in me auxilium tuum. Quod ſi hactenus dicta non placeant, concludam cum S. Auguſtino lib. de ſpiritu, & littera cap. 34. *Jam ſi ad illam profunditatem, ſcrutandam quiſquam nos coarctet, cur illi ita ſuadeatur, ut perſuadeatur; illi autem non ita: Duo ſola occurrunt interim, quæ reſpondere mihi placeat*: O altitudo divitiarum, &, nunquid iniquitas eſt apud Deum? *Cui reſponſio iſta diſplicet, quærat doctiores, ſed caveat, ne inveniat præſumptiores.*

XXXIX. Objiciunt quarto Damaſcenum *lib.* 2. *de Fide cap.* 30. dicentem: *omnia quidem præcognoſcit Deus: ſed non omnia prædeterminat.* Et Chryſoſt. *hom.* 12. *in epiſt. ad Hebræos*, ubi ait: *Deus non antecedit voluntates noſtras, ne noſtrum lædatur arbitrium. Cum autem nos elegerimus, multam tunc nobis offert auxiliationem.*

XL. Reſpondeo. Quantum ad Damaſcenum, D. Th. pro me jam reſpondit 1. *p. q.* 23. *art.* 1. *ad* 1. dicens: *quod Damaſcenus nominat prædeterminationem impoſitionem neceſſitatis, ſicut eſt in rebus naturalibus, quæ ſunt prædeterminatæ ad unum. Quod patet ex eo quod ſubdit*: non enim vult malitiam, neque compellit virtutem. Hæc D. Thom. Quare non eſt contra nos, qui prædeterminationem ponimus quidem, non tamen imponentem cauſis liberis neceſſitatem, ut inferius dicemus.

mus. Porro quod Damaſcenus a prædefinitionibus alienus non ſit, apparet ex Orat. 1. de Imaginibus ubi num. 10. hæc habet: *Sunt item in Deo imagines, & exempla rerum producendarum; nempe conſilium ipſius æternum, quod eodem ſemper ſeſe habet modo ... Has porro imagines, & exempla præfinitiones appellat S. Dionyſius ... Enimvero in Dei conſilio omnia ab ipſo præfinita, atque indeficienter futura, priuſquam fierent, haud aliter expreſſa erant, ac ſi quis domum ædificare cupiens, mente prius imaginem, figuramve ejus effingat.* Idem repetit *Orat.* 3. *num.* 19. ubi docet, quod *ea, quæ ab ipſo determinata ſunt, præfinito tempore fiunt, quemadmodum ipſe in æternitate conſtituit*: Et quod *in ejus* (Dei) *conſilio expreſſæ erant formæ, & imagines eorum, quæ priuſquam fierent, ab ipſo præfinita erant, & immutabiliter futura.* Quod ſi agens de actibus liberis videtur a nomine prædefinitionis alienus: hoc ideo facit, ne cum Gnoſticis, & Manichæis videatur liberum arbitrium auferre, & facere Deum auctorem malitiæ. Conferantur hæc cum iis, quæ diximus ſupra *tract. de ſcient. q.* 4. *dub.* 3. §. 3. *num.* 18. *&* 19.

XLI. Quantum vero ad Chryſoſtomum: prætermiſſo P. Vaſquez ipſum inter hæreticos Maſſilienſes temere rejiciente, cui reſpondere poſſem: quod ſi verum eſt, Chryſoſtomum, alioſque Patres Græcos cum Semipelagianis ſenſiſſe, aut eorum auctoritas parum prodeſt Vaſquez, & Jeſuitis; aut dicendum erit, quod eorum opinio non differt a Semipelagianorum errore.

Ne igitur hoc dicam, reſpondeo, ut ſupra S. Jo. Chryſoſtomum ſolum velle, Deum non antecedere voluntates noſtras; ita ut noſtram liberam electionem impediat. Cum autem ſua gratia præveniente libere elegerimus, tum ulteriori gratia nos cumulat. Uno verbo: negat, gratiam liberum tollere arbitrium, ut dicebant Manichæi, ſed cum gratia liberum arbitrium conſiſtere, potiores tamen partes gratiæ tribuendo. Hoc aperte dicit verbis, quæ ſequuntur. *Invanum* (inquit) *currimus, ſi noſtrum eſſe totum putaverimus, ſi non plurimam partem Deo tribuerimus. Neque enim Deus totum ſuum eſſe voluit, ne videatur ſine cauſa nos coronare: neque iterum noſtrum, ne in ſuperbiam incidamus. Si enim minimam partem habentes, alta ſapimus, quid ſi totius nos operis noſtri domini eſſemus?* Ita Chryſoſtomus ibi.

Mentem ſuam luculenter exponit *homil. de Adamo, & Eva*, ubi poſtquam docuit, nos quidquid habemus boni, a Deo accepiſſe, & gloriari non poſſe, ac ſi non acceperimus, concludit: *His ergo Eccleſiaſticis Regulis, & divina ſumptis auctoritate documentis, ita, adjuvante Domino, confirmati ſumus, ut omnium bonorum effectuum, atque operum, & omnium ſtudiorum, omniumque virtutum, quibus ab initio fidei ad Deum tenditur, Deum profiteamur auctorem, & non dubitemus, ab ipſius gratia omnia hominis merita provenire: per quæ item ſit, ut aliquid boni, & velle inveniamur, & facere. Quo utique auxilio, & munere Dei non aufertur liberum arbitrium, ſed liberatur &c.* & infra: *Tanta enim eſt erga omnes bonitas Dei, ut noſtra velit eſſe merita, quæ ſunt ipſius dona ... Agit quippe in nobis, ut quod vult, & velimus, & agamus.* Hæc Chryſoſtomus: quibus nil clarius proferre poterat ad ſe a nota Semipelagianiſmi liberandum.

XLII. Objiciunt quinto S. Aug. *lib. de ſpiritu, & lit. c.* 31. ubi dicit, quod omnis quidem poteſtas a Deo eſt; ſed non omnis voluntas. Secundo *lib.* 12. *de Civ. Dei c.* 6. de duobus animo, & corpore æqualiter affectis, ait: *ſi eadem tentatione ambo tententur, & unus ei cedat, atque conſentiat, alter idem, qui fuerat, perſeveret; quid aliud apparet, niſi unum voluiſſe, alterum noluiſſe a caſtitate deficere? Unde niſi propria voluntate, ubi eadem fuerat in utroque corporis, & animi affectio?*

XLIII. Reſpondeo ad primum Div. Auguſtini teſtimonium. Verum dicere S. Doctorem, quod non omnis voluntas a Deo eſt, quia voluntas mala ab eo non eſt: intendit enim ibi probare, quod eſto ſcriptum legamus. *Non eſt poteſtas niſi a Deo* (Rom. 13. 1.) *Nam & ut credamus Deus dedit.* Nullibi tamen ſcriptum legimus: *Non eſt voluntas, niſi a Deo: alioquin etiam peccatorum, quod abſit, auctor eſt Deus, ſi non eſt voluntas niſi ab illo.* Quare non ſequitur contra nos, Immo ſi ex quo voluntas mala non eſt a Deo, ſequitur, quod Deus eam non determinet ad malum; e contrario, quia voluntas bona eſt a Deo, ſequitur, quod eam determinet ad bonum juxta celebre ejus axioma: *præparatur voluntas a Domino.*

XLIV. Ad ſecundum ejuſdem Teſtimonium, reſpondeo primo, S. Doctorem ſolum voluiſſe eo exemplo oſtendere, certum eſſe nos facere, dum facimus, nos velle dum volumus; non tamen negaſſe Deum facere, ut faciamus bonum. Certum enim eſt, nos velle dum volumus, ſed ille facit, ut velimus. Unde ex illis duobus, ille qui ſtat, certe ſtat, quia vult. Sed quare vult? quare a non ſtante ſe diſcernit? quia Deus fecit, ut vellet, alias ex non acceptis, ſed ex propriis ſe diſcerneret, contra dictum Pauli 1. *Corinth.* 4. *v.* 7. *quis te diſcernit? quid enim habes, quod non accepiſti? Unde ſermon.* 343. loquens de Nabuchodonoſore, & Antiocho dicit: quod *Nabuchodonoſor præſtitum eſt, ut crederet in Deum eorum*: Ideſt trium puerorum ... *Antiochus autem non erat dignus, cui talia præſtarentur.*

XLV. Reſpondeo ſecundo, Auguſtinum ibi non quærere cauſam voluntatis bonæ, ſeu cur ex illis duobus unus ſteterit in conſpectu tentationis; de hoc enim ibi non agebat: ſed quærere cauſam voluntatis malæ, ſeu cur alter tentationi ceſſerit. En ejus verba: *Hanc igitur conſenſionem, hanc malam, quam male ſuadenti adhibuit voluntatem, quæ in eo res fecerit, quærimus.* Cui quæſtioni reſpondet, ipſum hominem feciſſe ſibi voluntatem malam, non eam habuiſſe a natura bona, cujus Auctor eſt Deus, nam ante voluntatem malam erat natura bona. Et concludit, quod, qui hoc dicit: *quærat, cur eam* (voluntatem malam) *fecerit, utrum quia natura eſt, an quia ex nihilo facta eſt: & inveniet, voluntatem malam, non ex eo eſſe incipere, quod natura eſt, ſed ex eo quod de nihilo natura facta eſt.* Non ergo erat ibi locus, ut de cauſa voluntatis bonæ ſermo fieret, nempe de Deo: cum ageretur de voluntate mala, quam Deus non cauſat, neque natura ut a Deo, ſed ut ex nihilo eſt. Et hæc reſponſio S. Auguſtini mentem magis attingit. Quod enim voluntas bona a Deo ſit, nimis clare locis citatis aſſeverat.

XLVI. Objiciunt ſexto S. Th. *Rom.* 8. *lect.* 6. dicentem: *hæc vocatio eſt efficax in prædeſtinatis, quia hujuſmodi vocationi aſſentiuntur*; ergo vocationem aſſerit efficacem, non ex ſe, ſed ex conſenſu. Rurſus in 2. *diſt.* 25. *q.* 1. *art.* 1. *ad* 3. *determinatio* (inquit) *actionis, & finis in poteſtate liberi arbitrii conſtituitur, unde remanet ſibi dominium ſui actus, & diſt.* 39. *q.* 2. *art.* 1. *Ipſa* (inquit) *potentia voluntatis, quantum in ſe eſt, indifferens eſt ad plura: ſed quod determinate exeat in hunc actum, vel in illum, non eſt ab alio determinante, ſed ab ipſa voluntate.* At ſi decreto efficaci Deus eam præmoveret, ejus determinatio eſſet ab alio determinante; ergo &c.

XLVII. Reſpondeo, de mente D. Thomæ ſatis conſtare ex dictis. Ad id tamen, quod primo ex eodem objicitur, reſpondeo ſolutione ipſius 1. *p. q.* 14. *art.* 8. *ad* 1. quod ly *quia* non denotat cauſam *eſſendi*, ita ut aſſentiri vocationi ſit cauſa, quare vocatio ſit efficax, ut Contrarii volunt (etenim D. Thomas loc. cit. ad Romanos præmiſerat, quod *cor hominis movetur a Deo ad aſſentiendum iis, quæ ſunt fidei, vel virtutis: Iſaiæ* 41. Quis ſuſcitavit ab Oriente juſtum, & vocavit eum, ut ſequeretur? *Et hæc vocatio neceſſaria eſt, quia cor noſtrum non ſe ad Deum converteret, niſi ipſe Deus nos ad ſe traheret*) ſed cauſam conſequentiæ, ſeu in cognoſcendo: ſequitur enim, ſi homo vocationi conſentit, quod vocatio ſit efficax, & ex quo voluntas vocationi aſſentitur, ut ex effectu, & ſigno dignoſcitur, quod vocatio ſit efficax.

Ad ſecundum dico, ex hoc, quod determinatio voluntatis ſit in poteſtate liberi arbitrii, non excludi, quin etiam a Deo ſit, qui magis habet in ſua poteſtate voluntates hominum, quam ipſi ſuas, ut dictum eſt ex Auguſtino; & infra dicetur. Neque hoc D. Thom. loco citato negat: dixerat enim, quod *Deus operatur in omnibus; ita tamen, quod in unoquoque ſecundum ejus conditionem*; quia vero conditio liberi eſt, quod habeat determinationem in ſui poteſtate, dicit: *In libero autem arbitrio hoc modo agit, ut ... ipſo operante, liberum arbitrium agat: ſed tamen determinatio actionis, & finis in poteſtate liberi arbitrii conſtituitur.*

Ad tertium dico primo, D. Thom. ibi loqui de determinatione, qua voluntas determinatur ad peccandum, quæ certe a ſola voluntate creata deficiente eſt. Secundo, dico, D. Th. ibi excludere omne determinans creatum, non vero increatum, quod ſicut eſt cauſa voluntatis, ita etiam cujuſcumque determinationis ejus. Videatur S. Th. 1. 2. *q.* 9. *art.* 4. *&* 6. *& q.* 10. *art.* 4.

XLVIII. Ex his exponuntur aliæ auctoritates, quæ a contrariis ſolent adduci: ut illud *Eccli.* 15. *v.* 14. *Deus ab initio conſtituit hominem, & reliquit illum in manu conſilii ſui. Et verſ.* 17. *Appoſui tibi aquam, & ignem: ad quod volueris, porrige manum tuam.* Aliæque, quas late congeſſit Fauſtus Semipelagianus, & olim D. Auguſtino objecit.

XLIX. Ad quas reſpondeo, quod ſi quid probarent, evincerent, neque requiri decretum indifferens, neque concurſum ſimultaneum, nec actus liberos immediate ſubjici Providentiæ Dei. Si enim Deus, poſtquam conſtituit hominem, reliquit eum in manu conſilii ſui; ergo ut homo operetur, & eligat, non egebit aliquo Dei adjutorio a dono creationis diſtincto. *Sed* qui talia objiciunt (ait D. Proſper *epiſt. ad Rufinum*) *audiant & dictum a Domino libero arbitrio utentibus*: Sine me nihil poteſtis facere: & nemo venit ad me niſi Pater, qui miſit me, traxerit enim: & nemo poteſt venire ad me, niſi datum ei fuerit a Patre meo, & ... præparatur voluntas a Domino: *& ſicut ait Apoſtolus*: Deus eſt enim, qui operatur in nobis velle, & perficere pro bona voluntate: *Pro qua bona voluntate, niſi quam in ipſis operatus eſt Deus: ut quod donaverat velle, donaret & facere?*

Præfata ergo teſtimonia exponenda ſunt. Primum exponit S. Thomas 1. *p. q.* 22. *art.* 2. *ad* 4. ubi ſimili argumento reſpondens: *In hoc* (inquit) *quod dicitur, Deum hominem ſibi reliquiſſe, non excluditur homo a divina providentia, ſed oſtenditur, quod non præfigitur ei virtus operativa determinata ad unum, ſicut rebus naturalibus, quæ aguntur tantum, quaſi ab altero directæ in finem, non autem ſe ipſa agunt, quaſi ſe dirigentia in finem, ut creaturæ rationales per liberum arbitrium, quo conſiliantur, & eligunt: unde ſignanter dicit*: In manu conſilii ſui, *ſed, quia ipſe actus liberi arbitrii reducitur in Deum, ſicut in cauſam, neceſſe eſt, ut ea, quæ ex libero arbitrio fiunt, divinæ providentiæ ſubdantur. Providentia enim hominis continetur ſub providentia Dei, ſicut cauſa particularis ſub cauſa univerſali.* Idem docet *qu.* 3. *de potentia art.* 7. *ad* 13. dicens: *Deus non dicitur, hominem dereliquiſſe in manu conſilii ſui, quin in voluntate operetur: ſed quia voluntati hominis dedit dominium ſui actus.* Et ad 13. ſubdit: *Voluntas dicitur habere dominium ſui actus, non per excluſionem cauſæ primæ, ſed quia cauſa prima non ita agit in voluntate, ut eam de neceſſitate ad unum determinet, ſicut determinat naturam.*

Ad ſecundum teſtimonium dicit idem S. Thom. 3. *contra Gentes c.* 90. quod *hæc verba ad hoc inducuntur, ut homines eſſe li-*

eſſe liberi arbitrii oſtendantur: non ut eorum electiones a divina providentia ſubtrahantur. Et Sanct. Auguſtin. lib. 6. de perfectione Juſtit. cap. 3. *In illo* (inquit) *teſtimonio . . . Appoſui tibi aquam, & ignem &c. manifeſtum eſt, quod ſi ad ignem manum mittit, & malum, ac mors, ei placet, id voluntas hominis operatur; ſi autem bonum, & vitam diligit, non ſolum voluntas id agit, ſed divinitus adjuvatur. Sufficit enim ſibi oculus ad non videndum, hoc eſt ad tenebras: ad videndum vero, lumine ſuo non ſibi ſufficit, niſi illi extrinſecus adjutorium clari luminis præbeatur.*

§. VII.

Fundamenta contraria ex ratione.

L. OBjiciunt ſeptimo. Concurſus cauſæ univerſalis eſt indifferens, & determinatur a cauſis particularibus ad ſpeciem actus: ſed concurſus Dei eſt concurſus cauſæ univerſalis; ergo &c. Major probat. 1. ex D. Th. 3. *contra Gentes cap.* 102. & explicatur in concurſu Solis, qui ex ſe indifferens determinatur a ficulnea ad producendas olivas, an homine ad producendum hominem. Unde S. Thom. qu. 1. de potentia art. 4. ad 3. *licet* (inquit) *cauſa prima maxime influat in effectum, tamen ejus influentia per cauſam proximam determinatur, & ſpecificatur, & ideo ejus ſimilitudinem imitatur effectus*. Et 3. *contra Gentes cap. 66.* vocat ſecunda agentia quaſi *particulantia, & determinantia actionem primi agentis.*

LI. Reſpondetur, majorem eſſe veram de concurſu cauſæ univerſalis creatæ, ut patet in exemplo Solis; non vero de concurſu cauſæ univerſalis primæ, qualis eſt Deus: hæc enim determinationem cauſæ particularis cauſat, & facit, quia creata eſt, non eam ſupponit, aut expectat. Unde D. Thom. ſic exponendus eſt; ejus influentia per cauſam proximam determinatur determinatione facta per ipſum, concedo: determinatione ſuppoſita, aut præviſa ante ipſum, nego. Hanc reſponſionem colligo ex eodem S. Doct. *q. 23. de verit. art. 5.* & hac *q. 19. 1. p. art. 9.* ubi refert opinionem eorum, qui reducebant rerum contingentiam, aut neceſſitatem in cauſas medias, *quia ea, quæ* (Deus) *producit per cauſas neceſſarias, ſunt neceſſaria, ea vero, quæ producit per cauſas contingentes ſunt contingentia*. Quam opinionem reprobat primo; quia ex hoc ſequeretur, quod effectus cauſæ primæ impediretur per *defectum cauſæ ſecundæ; ſicut virtus Solis impeditur per defectum plantæ: nullus autem defectus cauſæ ſecundæ impedire poteſt, quin voluntas Dei effectum ſuum producat*. Secundo; quia ſequeretur, effectum aliquem eſſe *præter intentionem, & voluntatem divinam*. Quare reſolvit, contingentiam, & neceſſitatem rerum reducendam, eſſe in efficaciam divinæ voluntatis, quæ quibuſdam effectibus aptavit cauſas neceſſarias, quibuſdam cauſas contingentes: & concludit: *Non igitur propterea effectus voliti a Deo eveniunt contingenter, quia cauſæ proximæ ſunt contingentes: ſed propterea quia Deus voluit eos contingenter evenire, contingentes cauſas ad eos præparavit*, cujus rationem aſſignaverat, quod *cum voluntas divina ſit efficaciſſima, non ſolum ſequitur, quod fiant ea, quæ vult fieri, ſed quod eo modo fiant, quo Deus ea fieri vult*. Eodem modo explicantur aliæ auctoritates allatæ.

LII. Objiciunt octavo. Si gratia, & decretum Dei efficacia ſunt, illis nunquam reſiſtitur: ſed hoc damnatum eſt ab Innocentio X. qui damnavit hanc propoſitionem Janſenii: *Gratiæ interiori nunquam reſiſtitur*; ergo &c. Minor prob. Gratia interior, de qua loquitur Pontifex eſt gratia, de qua loquebatur Janſenius; ſed Janſenius loquebatur de gratia per ſe efficaci; ergo &c.

LIII. Pace tamen hoc opponentis inſurgo ſic. Si Innocentius damnans præfatam propoſitionem, ut aſſumptam ab arguente, damnavit noſtram ſententiam, damnavit etiam Moliniſtarum. In utraque enim ſchola gratia efficax definitur, qua de facto infallibiliter operamur: ita ut non componatur Petrum habere gratiam efficacem ad conſenſum, & Petrum reſiſtere, ſeu non conſentire: alias eſſet efficax, & non eſſet, undecumque hæc efficacia ſumatur. Ergo in utraque ſchola defenſari debet hæc propoſitio: *gratiæ efficaci nunquam reſiſtitur*. Ergo ſi dum damnatur iſta: *gratiæ interiori nunquam reſiſtitur*, damnatur etiam hæc: *gratiæ efficaci nunquam reſiſtitur*: damnatur doctrina utrique ſcholæ communis.

LIV. Ad argumentum igitur reſpondeo, negando min. ad probat. diſting. min. de gratia per ſe efficaci, & hanc ſolam admittebat, conc. min. aliter, neg. min. Innocentius ergo damnavit hanc Propoſitionem *gratiæ interiori nunquam reſiſtitur* in ſenſu Janſenii, qui ponebat omnem gratiam interiorem in homine lapſo eſſe efficacem, & nullam dari gratiam ſufficientem, ex quo inferebat, gratiæ interiori nunquam reſiſti; cum debuiſſet diſtinguere inter gratiam efficacem, cui non reſiſtitur, Rom. 9. v. 19. *Voluntati enim ejus quis reſiſtit?* & ſufficientem, cui ſæpe reſiſtitur, juxta illud Prov. 6. v. 24. *Vocavi, & renuiſtis*, & Act. 7. v. 51. *Vos ſemper Spiritui Sancto reſiſtitis*. Et propterea Innocentius damnavit dicentem, non dari aliquam gratiam interiorem, cui homo reſiſtat. Et appoſite gratiam *interiorem* nuncupavit, non vero *efficacem*. Peccat ergo hoc argumentum, quia procedit a ſuperiori ad inferius affirmative, dum ait: Innocentius damnavit dicentes, gratiæ interiori nunquam reſiſti; ergo damnavit dicentes gratiæ efficaci nunquam reſiſti, cum non omnis gratia interior ſit gratia efficax.

LV. Ex quibus patet, quam inſcite, ne dixerim malitioſe, aliqui, ut ſententiam noſtram reddant inviſam, & odioſam, eam cum Janſeniana confundunt; idque apud idiotas, ſimplices, mulieres quoque, aliaſque perſonas in hac materia jejunas venditare, ac ſpargere ſcrupulum ſibi non faciunt. Contrarium oſtendi præſenti tractatu *q. 2. dub. 2. toto* §. 3. quæ a Studioſo huc revocanda ſunt, & præcipue ad rem præſentem; quod Janſenius unicum tantum gratiæ auxilium interius, & hoc ſemper efficax admittit, rejecto pro ſtatu præſenti naturæ corruptæ omni auxilio inefficaci, & pure ſufficiente. Cumque hoc auxilium efficax non omnibus detur, aſſerebat, iis quibus non datur, deeſſe potentiam ad operandum: ex quo inferebat, præcepta aliquibus eſſe obſervatu impoſſibilia; Chriſtum non eſſe mortuum pro omnibus, aliaque ſuperius adnotata, ac juſtiſſima proſcriptione damnata. Nos autem duplex auxilium internum, etiam pro ſtatu lapſus, admittimus: unum efficax, quod cum Auguſtino vocamus *auxilium quo*; & eſt illud, quo de facto agimus: alterum ſufficiens, quod cum eodem S. Doctore vocamus *auxilium ſine quo*; quia eſt illud, ſine quo non poſſumus agere. Licet autem cum ſolo auxilio ſufficiente poſſimus quidem agere, ſed non de facto agamus, niſi conjungatur cum auxilio efficaci; ex defectu tamen auxilii ſufficientis non eſt, ſed ex culpa noſtra, quod interdum cum efficaci non conjungatur. Porro cum eſto auxilium efficax non omnibus adſit, ſufficiens tamen omnibus conferatur, etiam infidelibus, & obduratis, ut ſuperius fuſe oſtendimus *q. 2. citato dub.* 7. & multi ei reſiſtant; fit, ut etiam nos ejuremus Janſenianam doctrinam, gratiæ interiori nunquam reſiſtitur. Propterea noſtra ſententia ſub oculis ipſius Pontificis publice defenſatur, ut teſtatur Clemens XI. eamque Benedictus XIII. in ſuo Brevi commendat, ad eamque tuendam nos adhortatur: noviſſime vero in ſua Conſtitutione *Pretioſus* eam collaudat, quod certe non feciſſet, ſi Janſeniſmi fuligine eſſet ſordidata.

LXVI. Tandem objiciunt. Admiſſo decreto indifferenti gratia, & libertas creata abſque ulla querela cohabitant. Deinde decretum indifferens auribus fidelium adeo delectabiliter inſonat, ut eorum cordibus pia conſolatio, & quies inferatur; ergo magis acceptabile eſt, ac probabile.

LVII. Hoc idem objiciebant Maſſilienſes S. Auguſtino, ut ex epiſt. Proſperi, & Hilarii *lib. de Prædeſt. SS.* præfixis; ejus nempe doctrinam fideles commovere, ideoque, vel non tenendam, vel ſaltem populis non prædicandam; potius ad præſcientiam confugiendum eſſe, quam ad divinæ voluntatis propoſitum, ut ſcilicet præſcierit Deus, & quos præſcivit bene uſuros, elegerit. Verum his, ac ſimilibus nihil commotus S. Auguſt. pro gratiæ primatu pugnare non deſtitit, exiſtimans, ſe liberum arbitrium ſtatuere, dum gratiæ tribueretur principatum. *Liberum ergo arbitrium evacuamus per gratiam?* (ita ajebat lib. de ſpiritu, & litt. c. 30.) *Abſit: ſed magis liberum arbitrium ſtatuimus. Sicut enim lex per fidem, ſic liberum arbitrium per gratiam non evacuatur, ſed ſtatuitur. Neque enim lex impletur, niſi libero arbitrio . . . Ac per hoc ſicut lex non evacuatur, ſed ſtatuitur per fidem; quia fides impetrat gratiam, qua lex impletur: ita liberum arbitrium non evacuatur per gratiam, ſed ſtatuitur, quia gratia ſanat voluntatem, qua juſtitia libere diligatur.*

LVIII. Nego igitur aſſumptum pro prima parte; nam poſito decreto indifferente querelæ inſurgunt. Tum ex parte gratiæ, quæ de Domina videt ſe factam liberi arbitrii comitem, immo & pediſſequam; agnoſcit, ſe de voluntatibus non poſſe facere quod vult, eaſque ubi vult, quando vult, quomodo vult non poſſe convertere, nec magis habere in ſui poteſtate voluntates hominum quam ipſi ſuas, quod ſuperius oſtendi. Tum ex parte liberi arbitrii, quod tali gratia, & decreto indifferente ſanari non poteſt, nec ad bonum converti. E contra vero libertas creata ſub efficacis decreti dominio conſtituta, jucunde ſimul cum gratia converſatur, & ejus viribus, & efficacia adaucta dicere poteſt cum Paulo: *Omnia poſſum in eo, qui me confortat.*

LIX. Ad ſecundam; Gratularer cum Opponente, quod invenerit modum facilem ſolvendi quæſtionem, & quietandi animos fidelium, qui nec Auguſtino, nec Paulo datus fuit, niſi eum pie decipi rationabiliter judicarem. Quomodo enim magis tutus eſſe poteſt homo de ſe ipſo, quam de Deo ejuſque gratia? *Tutiores vivimus* (inquit S. Auguſt. *de dono perſever. cap. 6.*) *Si totum Deo damus, non autem nos illi ex parte, & nobis ex parte committimus*. Præterea; quomodo homo conſolari poterit de ſuo bono conſenſu, quod juxta Opponentem non eſt occaſio, nec motivum eum prædeſtinandi? Si ſtat in manu Dei, etiam præviſo illius bono conſenſu, adhuc ei denegare auxilium congruum, eumque excludere a Regno, quomodo poterit non eſſe anxius? ſi nil poteſt facere ſine gratia Dei, quæ eſt fons, & origo totius prædeſtinationis, & hanc poteſt Deus ei denegare, quænam eſt tantæ confidentiæ ratio? teneturne Deus illi ſuam gratiam concedere? aut revelavit, ſe eam daturum omnibus, quos prævidit fore bene uſuros? minime. Nam etiam prævidit Tyrios bene uſuros, ſi eis gratiam ſuam dediſſet, & tamen non dedit. Quid ergo proſunt piæ fidelium conſolationi decreta hæc indifferentia?

Verum quia præcipua Adverſariorum vis ea ponendi eſt, ne humana violetur libertas: ideo punctum hoc examinandum ſpecialiter a nobis erit. Difficile quidem, ſed dante Deo ejuſque gratia, pro qua inſudamus, ſuperabile.

Du-

DUBIUM II.

An Decretum Dei per ſe efficax cohæreat cum libertate creata.

§. I.

Statuitur Concluſio.

I. DIco. Efficacia divini decreti non deſtruit, non lædit, ſed potius facit, & fovet creatam libertatem. Id evincunt auctoritates ſupra allatæ D. Thomæ. Nam primo in hac *q. 19. art.* 8. ex quo divina voluntas ſit efficaciſſima, infert, non ſolum fieri ea, quæ Deus fieri vult, ſed eo modo, quo vult ea fieri: cum autem velit aliqua fieri neceſſario, aliqua contingenter, & libere, ex ejus voluntatis efficacia deſcendit, ut libere fiant, aut neceſſario; non ſolum enim cauſat ſubſtantiam actus faciendi, ſed modum ejus. Immo referens opinionem illorum, qui (ut volunt hiſce temporibus Jeſuitæ) contingentiam effectuum ad cauſas medias contingentes reducebant; eam expreſſe reprobat: & in efficaciam divinæ voluntatis reſolvit: & omnibus argumentis, quibus ut infra Adverſarii in nos inſurgunt, reſponſionem nobis miniſtrat, ut videbimus.

II. Secundo oſtendo ex eodem S. Th. *1. p. q.* 83. *art. 1. ad 3.* ubi argumento, quod intendebat, hominem non fore liberi arbitrii, ſi moveretur a Deo; quia liberum eſt, quod ſui cauſa eſt, quod autem movetur ab alio, non eſt liberum; Reſpondet, *quod liberum arbitrium eſt cauſa ſui motus: quia homo per liberum arbitrium ſeipſum movet ad agendum. Non autem hoc eſt de neceſſitate libertatis, quod ſit prima cauſa ſui id, quod liberum eſt: ſicut nec ad hoc, quod aliquid ſit cauſa alterius, requiritur, quod ſit prima cauſa ejus. Deus igitur eſt prima cauſa movens, & naturales cauſas, & voluntarias; & ſicut naturalibus cauſis, movendo eas, non aufert, quin actus earum ſint naturales: ita movendo cauſas voluntarias, non aufert, quin actiones earum ſint voluntariæ, ſed potius hoc in eis facit. Operatur enim in unoquoque ſecundum ejus proprietatem.*

III. Ex his ita diſcurro. Ideo liberum arbitrium cohabitare non poſſet cum decreto efficaci, quia cauſa libera debet eſſe cauſa ſui actus, & ſe movere ad illum, & quia ex decreto efficaci neceſſario infertur actus; ſed hæc non obſtant; ergo &c. min. prob. pro prima parte. Nam ut ait D. Th. non eſt de neceſſitate agentis liberi, quod ſit prima cauſa ſui, & primum movens ſe ipſum; ſicut non eſt de neceſſitate cauſæ cauſantis alterum, ut ſit prima cauſa, & primum movens illud. Pro ſecunda etiam parte probat. Deus movens cauſas neceſſarias, non aufert, quin eorum motus ſint naturales, ſed potius hoc in eis facit, quia agit in unoquoque ſecundum ejus proprietatem: ergo eadem ratione movens cauſas voluntarias, & liberas non aufert, quin earum actiones ſint liberæ, & voluntariæ, ſed potius hoc in eis facit.

IV. Confirmo hoc, & diruo Adverſariorum fundamentum. Ideo cum efficacia per ſe tali divini decreti non ſtaret libertas actus creati, quia voluntas creata poſito decreto efficaci neceſſitaretur ad ponendum actum ex aliquo priori, cui non poſſet reſiſtere, vel quod impedire non poſſet: Voluntati enim Dei quis reſiſtit? Res etiam creatæ comparantur ad voluntatem divinam ſicut ad aliquid prius, a quo habent neceſſitatem, cum hæc conditionalis ſit vera: ſi aliquid Deus vult, illud eſt. Neceſſitas autem orta ex aliquo priori, & inimpedibili eſt neceſſitas abſoluta: ſed hæc nihil obſtat; ergo &c. Min. prob. Poſteriora habent neceſſitatem a prioribus ſecundum modum priorum, & ex quo prius eſt inimpedibile ſequitur, quod non ſolum fiat res, quam vult fieri, ſed quod fiat eo modo, quo vult fieri: ſed Deus aliqua vult fieri neceſſario, aliqua contingenter, aliqua habere neceſſitatem abſolutam, aliqua conditionalem tantum; ergo ex quo decretum Dei ſit prius, & inimpedibile, non ſequitur, quod actus voluntatis habeat neceſſitatem abſolutam, ſed conditionalem tantum, qualem ſcilicet vult Deus, illum habere. Ita diſcurrit S. Thomas *1. p. q. 19. art. 8. ad 1. 2. & 3.*

V. Hoc ipſum oſtendit, & declarat idem S. Doct. *q. 6. de malo art. unico*, ubi cum ſibi oppoſuiſſet tertio, quod *cum omne animal moveat ſe ipſum per appetitum, alia tamen animalia ab homine non habent liberam electionem, quia eorum appetitus ab aliquo exteriori movente movetur, ſcilicet ex virtute corporis cæleſtis, vel ex actione alicujus alterius corporis. Si ergo voluntas hominis immobiliter movetur a Deo, ſequitur, quod homo non habeat liberam electionem ſuorum actuum*. En argumentum, quod Adverſariis eſt familiare.

Cui S. Doctor ſic reſpondet: *Ad tertium dicendum, quod animalia bruta moventur per inſtinctum ſuperioris agentis ad aliquid determinatum, ſecundum modum formæ particularis; cujus conceptionem ſequitur appetitus ſenſitivus. Sed Deus movet quidem voluntatem immutabiliter propter efficaciam virtutis moventis, quæ deficere non poteſt: ſed propter naturam voluntatis motæ, quæ indifferenter ſe habet ad diverſa, non inducitur neceſſitas, ſed manet libertas. Sicut etiam in omnibus providentia divina infallibiliter operatur, & tamen a cauſis contingentibus, proveniunt effectus contingentes, in quantum Deus omnia movet proportionaliter unumquodque ſecundum ſuum modum*. Hoc idem ex profeſſo docet 1. 2. *q.* 10. *art.* 4. ubi ex quo Deus movet unumquodque ſecundum ejus conditionem ſtatuit, quod *quia voluntas eſt activum principium non determinatum ad unum, ſed indifferenter ſe habens ad multa, ſic Deus ipſam movet, quod non ex neceſſitate ad unum determinat, ſed remanet motus ejus contingens, & non neceſſarius, niſi in his, ad quæ naturaliter movetur.*

VI. Ex his omnibus hoc ratiocinium efformo. Quotieſcumque cauſa ſuperior movens, eſto efficaciter moveat, ſeſe tamen attemperat in agendo cauſis inferioribus in quas agit, movendo omnia ſecundum earum conditionem, non lædit earum proprietatem: ſed decretum Dei eſto ab intrinſeco efficax, deſcendit tamen in cauſas liberas ſeſe attemperando earum conditioni, nempe indifferentiæ; ergo non lædit earum libertatem. Minor. oſtendunt omnia D. Thomæ ſupra laudata teſtimonia, & ulterius exemplo humanitatis Chriſti, quæ a divino Verbo tamquam inſtrumentum conjunctum movebatur multo intimius, & fortius, quam manus moveatur ab anima; ut notat D. Thom. 4. *contra Gent. cap.* 41. & tamen tantum aberat, ut læderet ejus libertatem, quin eam potius perficeret. Major vero explicatur exemplis aquæ leniter a Cælo deſcendentis, & lucis ſolaris. Sicut enim aqua e Cælo deſcendens, & lux a Sole effluens vim quamdam occultam ſecum deferunt, ut nutriant, & vivificent; & quamvis unius ſpeciei ſint in omnibus, vario tamen modo operantur ſecundum varias proprietates rerum, in quas deſcendunt; dealbando in lilio, rubricando in roſa, in ficulnea dulcorando, amaricando in abſinthio: ita divina motio omnium ſeminaliter virtutem continens, & naturas, ſua occultiſſima ſed efficaciſſima vi in omnes cauſas deſcendens, omnia movet: & licet in ſe una ſit, vario tamen modo operatur ſecundum varias rerum naturas, & proprietates; agens neceſſario in igne, libere in voluntate.

VII. Neque dicas, quod ſi divina efficacia ſe accommodat naturis rerum, ad eum modum, quo aqua, & lux ſolaris, ſequitur, efficaciam divinæ voluntatis non eſſe talem ex ſe, & intrinſece, ſeu abſolute, ſed eſſe talem ſolum reſpective, & modificabilem a cauſa creata; ac proinde divinam motionem reddi efficacem ad hunc potius effectum, quam ad alium ex diſpoſitione, quam invenit in cauſa creata: ſicut efficacia aquæ, & lucis modificatur juxta variam materiam, in quam agit.

VIII. Nam contra eſt. Dum dicimus divinæ voluntatis efficaciam ſeſe attemperare conditioni, & naturis rerum, in quas agit; non intendimus, eam dependere, ſupponere, & quaſi efficaciam accipere a diſpoſitione, & determinatione cauſarum; ita ut eam ſupponat, & indiſpoſitio iſtarum poſſit impedire, aut retardare divinæ voluntatis efficacitatem, ut aſſerunt Contrarii: ſicut vis Solis per defectum, & indiſpoſitionem plantæ impeditur: *Nullus enim defectus cauſæ ſecundæ* (ait D. Thom. 1. part. qu. 19. art. 8. in corpor.) *impedire poteſt, quin voluntas Dei effectum ſuum producat*. Sed dicimus, quod divinæ voluntatis vis, & efficacia, eſto a nullo poſſit impediri, eſto poſſit omnem reſiſtentiam vincere, non eodem modo agit in omnibus; ſed reſpicit naturas, & proprietates cauſarum, in quas agit, faciendo, ut effectus prodeat ex neceſſitate, ſi cauſa, in quam agit, ſit neceſſaria, voluntarie autem, & libere, ſi cauſa, in quam agit, libera ſit. Quare dum Deus efficaciter vult peccatoris converſionem, facit, ut homo peccator velit libere ſe convertere: Et hoc eſt, quod ait D. Thom. locis ſupra relatis, *quod omnia movet proportionabiliter, unumquodque ſecundum modum ſuum: operatur in unoquoque ſecundum ejus proprietatem: vult non ſolum ſubſtantiam*, ſed *& modum actus*. Quod bene in hac materia penſandum eſt; quia eſt quaſi clavis, qua omnibus difficultatibus exitus aperitur, & Adverſariorum falſa imaginatio detegitur. Putant enim divinæ voluntatis efficaciam eſſe abſolutam, & eodem modo in omnes cauſas agere, cum ſit reſpectiva ad naturas, & proprietates rerum, cauſans quidem omnium cauſarum determinationes, non eas ſupponens; ſed juxta uniuſcujuſque modum: non quaſi nolentem, ac invitum cogat, aut neceſſitet; ſed *ex nolente volentem facit*, ut ait Auguſtinus *lib. 3. oper. imperfect. contra Julian. cap.* 122.

IX. Quapropter exemplum adductum de aqua leniter deſcendente, & influxu virtutis ſolaris in hæc inferiora, ſimile quidem eſt, ſed non in omnibus idem; alioquin ſimilitudo non eſſet, ſed identitas. Simile quidem eſt: quia ſicut aqua, & virtus ſolaris non in omnibus facit idem, nec eodem modo, licet in ſe una ſit; ſed aptat ſe naturis rerum, hic producendo plantam, ibi aurum: ita voluntas Dei licet una reſpectu omnium, & efficax ſit, non ſemper agit idem, nec eodem modo; ſed ſe attemperat naturis cauſarum, quas agere vult, nempe hic producendo actum neceſſarium, ſi cauſa, in quam agit ſit neceſſaria; ibi actum liberum, & contingentem, ſi cauſa libera ſit. Non eſt autem omnino idem. Nam virtus pluviæ, lucis ſolaris ex indiſpoſitione, & defectu cauſæ, in quam agit, impediri poteſt, immo ſæpe a ſuo effectu impeditur; non enim facit diſpoſitionem, ſed eam in cauſa ſupponit; nec agere poteſt niſi id, ad quod cauſa diſpoſita, ac determinata eſt. At vis, & efficacia divinæ voluntatis, utpote actualiſſime, & omnia uſque ad ultima continens (pertingit enim a fine uſque ad finem) quodcumque voluerit poteſt in quacumque cauſa operari, in ea diſpoſitiones inducere, ut (ſuo tamen modo) faciat effectum, quem vult: Et ſic voluntatem repugnantem, & nolentem quando vult, ubi vult, quomodo vult de nolente in volentem convertere. Et hoc eſt, quod dicitur Sap. 8. v. 1. *Attingit a fine uſque ad finem fortiter*: quia vero rerum proprietates non lædit, immo agit ſecundum uniuſcujuſque proprietatem, & conditionem, additur: *& diſponit omnia ſuaviter*. Quare D. Th. *art.* 8. hujus *q.* 19. optime ex efficacia divinæ voluntatis dicit procedere, quod non ſolum res fiant, ſed eo modo fiant, quo vult ea fieri; quædam autem vult fieri neceſſario; & ideo iſtis præparavit cauſas neceſſarias, eaſque movet, ut neceſſario agant; quædam vero vult fieri contingenter, & libere, & ideo iſtis præparavit cauſas contingentes, & liberas, eaſque movet, ut libere,